

## AD CAP. XXI.

**A**Ntequam speciem hujus Capituli explicemus, quæ quidem difficilis est, duo sunt observanda, quæ & supra explicavimus. Primum Laicos nullo ferè jure non tantum jus Patronatus, sed etiam ipsas Ecclesias & Beneficia pleno jure sibi vindicavisse, vendidisse, permutavisse, donavisse, etiam inconsultis Episcopis; & pro arbitrio suo Presbyteros instituisse & destituisse. Quæ præsumptio per universam Europam invaluerat, sicut ostendimus in *cap. 4. hoc tit.* Et quidem tardius ea corruptela in aliis regnis tolli potuit; in Gallia celebrius pietate Regum nostrorum radicitus evulsa: diutissime verò remansit in Anglia, ad quam pertinet *hoc capit. & cap. sequens in 1. Collectione*, sicut & alia plurima *hujus tit. & in 1. Collectione.*

Observandum secundò jus Patronatus, sive Clericis sive Laicis competat, quamvis non sit merè spirituale, spiritualibus tamen annexum definiri *cap. 16. hoc tit.* Unde sequitur præter nominationem Patronorum, institutionem Episcoporum requiri; & in concessionibus juris Patronatus & donationibus, sive Clericis sive Laicis fierent, consensum Episcoporum requisitum fuisse; & simoniæ crimen productum fuisse ad venditionem juris Patronatus, vel ejus per quemlibet alium contractum translationem sive in Ecclesias sive in Laicos, aliquo dato vel retento. Quinimo moribus quorundam populorum receptum, ut absque fundo cui inhæret, jus Patronatus non possit vendi, ac ne quidem donari; quamvis admiserimus gratis posse donari jus Patronatus secundum sententiam veterum Interpretum, quam merito reprobaverunt populorum consuetudines, ne tacitè & furtim obreperet simonia, vel quasi simonia prætextu donationis, datâ pecuniâ. Diximus quasi simoniam, quia jus Patronatus non est spirituale sui naturâ, sed spiritualibus annexum. Ex quo sequitur vendi non posse, & causas Patronatus, ut dicitur in *capit. 3. de Judiciis*, ita junctas esse & connexas causis Ecclesiasticis, ut non nisi Ecclesiastico judicio valeant definiri, & apud Ecclesiasticum Judicem solummodo terminari, sicut habetur in *capitulo 5. de Judiciis in 1. collectione.* Quæ quidem Capitula autorem habent Alexandrum III. & scripta sunt Regi Anglorum: quia gravissimæ controversiæ eo tempore cæperunt de occupationibus, donationibus, concessionibus Ecclesiarum, institutionibus & investituris earum; quæ eo tempore excitatæ fuerunt Regem Angliæ & regni Proceres inter & Episcopos, quorum præcipuus & acerrimus defensor existit Thomas Bexen Cantuariensis Archiepiscopus ad conservandas Ecclesiarum, quas vocabant, libertates & jura, quæ à Laicis violari & passim infringi ægerrimè ferebant, sicut probabimus infra. Episcoporum verò tuitionem & defensionem Alexander III. strenuè suscepit, pluribus super ea re constitutionibus editis. Inter præcipuas autem referendum hoc capitulum, quod inscribitur Archiepiscopis & Episcopis per Angliam constitutis, & jungendum *cap. 3. de Institutionibus* ejusdem Alexandri III. quod scriptum est Archiepiscopo Cantuariensi & ejus Suffraganeis, ejusdemque Alexandri tertii

epistola 28. ad omnes Episcopos Angliae tomo 3. Conciliorum parte 2. p. 517. cujus partem supra inseruimus in explicatione §. 1. capit. 5.

Ex iis omnibus Capitulis & plenissima historiae fide narratio facta ita constitui potest. In Anglia plerique Clerici, qui Beneficia venabantur & captabant; vel à Laicis jus Patronatus, vel saltem à Patronis Beneficia & Ecclesias pleno jure sibi concedi ambiebant, etiam inconsultis Episcopis, vel eorum Officialibus & Vicariis, ad quos institutionis jus pertinet. Nihilominus tamen quia fortè, ut solet fieri, difficiliore se præbebant Episcopi, à Laicis hujusmodi Beneficiorum possessionem facile obtinebant, occasione laicæ recognitionis & potentiae sæcularis, in sæculari foro, sicut loquitur *Antiqua*. Investitura enim hujusmodi & recognitiones Laicorum, inconsultis Episcopis, passim temporibus Alexandri III. in Anglia admittebantur. Quod cum Canonibus & jurisdictioni Ecclesiasticæ repugnaret maximè, tum quia institutio ad Laicos non pertinet, tum etiam quia controversiæ super jure Patronatus ortæ ad seculares Judices jure Decretalium non pertinent, sicut infra dicemus; districtissimè jubet Pontifex eos, qui à Laicis ea ratione Beneficia obtinuerint, vel jus Patronatus acquisierint, inconsultis Episcopis, ab officio & Beneficio alienos reddi, id est eos vel jure Patronatus, quod non canonicè obtinuerint, vel Beneficiis & Ecclesiis, quas obtinuerant, privari; nisi resignare malent in manibus Episcopi, vel ab eo consensum vel confirmationem obtinere. Additur in *Antiqua*, vel nisi præscriptione muniti fuissent: quæ verba Raymundus detraxit. Quod si & Patroni & Clerici in contumacia perseverarent, anathematis pœna damnantur, id est excommunicatione majori, sicut additur in *Antiqua*.

In prima verò parte hujus Capituli meritò Interpretibus obscura videntur ea verba, occasione laicæ recognitionis, non requisiti à Episcopi audentiâ, jus Patronatus & Beneficia à Laicis, inconsultis Episcopis, sibi præsumunt vindicare. Ubi explicandum occurrit, quid esset illa recognitio. Et quidem primæ Collectionis vetus Interpres Alanus ex Anglia oriundus, primus attigit veram explicationem *Recognitio vulgari Anglorum sermone est confessio terminata in Jure, vel coram testibus concessionis vel donationis facta prius de re quacumque*: quorum verborum partem Glossa refert. Rectè ad Jus Anglicanum respexit Alanus, quod & apertius declaratur in capit. 11. hoc tit. in collectione 1. scripto Vintoniensi Episcopo, in quo proponitur recognitio donationis juris Patronatus Ecclesiæ, antea factæ cuidam Monasterio, in Curia & coram Episcopo Vigorniensis. Nec tantùm fiebant recognitiones super proprietate & jure ipso, sed etiam super possessione, quam Saisinæ & Desaisinæ vocabulo appellant; quæ recognitiones & recordationes appellari solebant, & in Jure peragebantur. Interponebantur autem vel simpliciter, adhuc nulla lite mota, ut rei gestæ sine scripto, publica autoritate paratam haberent probationem, quæ tantæ autoritatis erat, ut adversus eam nulla amplius admitteretur alia probatio: vel etiam lite mota, si alter ex litigantibus inficiaretur. In hujusmodi autem recognitionibus, sive recordationibus, quæ in Jure, ut diximus, & causâ cognitâ fiebant. (*aux Assises*), non omnes, sed certi & lege probati testes

admittebantur tantum, integræ famæ, & omni exceptione majores: & præterea qui negotio & rei gestæ præsentés interfuissent, non alii quilibet: quos & ideo vocabant testes de visu & auditu, sicut in veteri Consuetudine Neustria apertissimè explicatur *titulo du Loix qui est fait par record*. Et præterea numerus testium Lege definitus erat major vel minor, secundum qualitatem negotii de quo agebatur; duodecim, si de proprietate; octo, si de possessione, ut apertius dicemus, & juramento testium præcedente; unde & Juratores appellabantur. Idemque jus obtinebat in quæstionibus juris Patronatus, ut constat ex *iii. de jure Patron.* in quo & de proprietate & de possessione juris Patronatus tractatur; nempe quis in possessione sit præsentandi: quo quidem casu recognitiones super jure Patronatus olim duodecim Nobiles testes (*Chevaliers*) requirebant, sive Milites, ut vocabant. Postea ad Episcoporum exostulationes indultum fuit, ut si quæstio verteretur inter Laicum & Ecclesiasticum Patronum, vel inter duos Ecclesiasticos Patronos, quatuor Nobiles, sive Milites, & quatuor Presbyteri testes exhiberentur coram Regio JUDGE, præsentè & simul confidente Episcopo Diocæsano: quod concessum nominatim à Rege Philippo.

Apud Judices autem Laicos causas juris Patronatus, & recognitiones & donationes juris Patronatus Ecclesiarum fieri ægrè ferebant Episcopi. Facile enim sæculares Judices admittebant hujusmodi donationes, concessiones & recognitiones, etiam non adhibito Episcoporum consensu, ad quos tamen, non autem ad Judices laicos, eam jurisdictionem & recognitionem juris Patronatus pertinere Pontificum Decretalibus sæpissime ostendimus; quamvis aliud usù receptum foret, ut diximus. Hujusmodi autem recognitionum sive recordationum frequens mentio apud Matthæum Paris ad annum 1163. in *Henrico II. In presentia Regis Henrici apud Clarendonam, præsidente Joanne de Oxonia, de mandato ipsius Regis, presentibus etiam Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus & Baronibus, &c. facta est recognitio sive recordatio cujusdam partis consuetudinum & libertatum antecessorum nostrorum*. In articulis verò singulis fit sæpius mentio recognitionum, quæ testibus auditis in judiciis & celebrioribus conventibus, quos vocabant Assisas, fieri solebant sive de proprietate ageretur, sive de possessione, quam Saisnam vocant. Post Henricum II. ad annum 1190. sub Richardo I. ejus successore. *Item nulla fit recognitio in foro saculari, si charta vel alio modo elemosynatam esse possessionem viri Ecclesiastici probare poterunt, sed ad Ecclesiasticos Judices remittuntur. Quæ concessio vix obtinuit. Et in Charta Joannis ad annum 1215. Postrema recognitiones de nova desuina, & de morte antecessoris, & de ultima presentatione non capiantur, nisi in civitatibus suis. Et iterum: Assisa de ultima presentatione Ecclesiarum semper capiantur coram Justitiariis de Bancour*. Sicut autem plurimæ Constitutiones Pontificum editæ fuerunt adversus laicos Judices & Patronos Ecclesiarum in Anglia; ita etiam adversus Episcopos querelas instituebant Patroni laici: imò & etiam adversus Legatos & Nuntios Pontificios, non tantum apud Regem Angliæ, vel apud ipsum Pon-

tificem, nec tantum sub Alexandro III. auctore *Capitulorum*, quæ explicavimus, sed etiam ejus successoribus & perpetuo. Continuator Matthæi Paris ad annum 1247. Innocentii IV. mandatum refert ad ejus Nuntium in Anglia Joannem de Ordine Minorum. *Quidam executores super Clericorum provisionibus, dudum in eodem Regno à Sede Apostolica deputati, cum aliqua Beneficia Ecclesiastica, de quibus eisdem Clericis provideri poterit, vacare contigerit, in alienis negotiis, sua fidei fidenter commissis, privata commoda infideliter prosequuntur; dum Abbates & Priores aliasque Ecclesiarum Patronos, ad quorum presentationem noscuntur eadem Beneficia pertinere, excommunicant & suspendunt, ipsosque taliter impeditos, ad ordinationem Ecclesiarum suarum procedere non permittunt, donec sibi ipsis, vel aliis consanguineis suis, vel amicis; non autem illis, quibus provideri mandavimus, à Patronis eisdem, minis & dotis interdum inductis, eadem Beneficia, seu provisiones annua assignentur.* Quos abusus sæpissimè prohibet Innocentius IV. Continuator Matthæi ad annum 1260. sub Henrico III. Dominabantur his diebus Romani & eorum Legati in Anglia tam Laicis quam Ecclesiasticis, super advocacionibus Ecclesiarum multa gravamina inferentes, providentes suis Beneficia ampla vacantia, pro sua arbitrio voluntatis; Episcopos vel Abbates aliosque Religiosos contradicentes excommunicationis sententiâ innodantes. Tandem hoc sibi sumpserunt, ut liberè Patronis Ecclesiasticis præjudicarent, speciali clausula de derogatione juris Patronatus. Quam derogationem neglexerunt perpetuò Laici Patroni: nec unquam in Anglia vel in Gallia derogationes Pontificum directè, sive indirectè adversus jura Patronorum Laicorum locum habuerunt.

In fine verò hujus Capituli damnatur altera usurpationis jurisdictionis Ecclesiasticæ fraudulosa ratio, quæ à Laicis frequentissimè admittebatur in Anglia. Et quidem videtur incœpisse occasione juris Patronatus: quare statim subjicitur in fine hujus Capituli, in quo de jure Patronatus agitur: institutos scilicet Clericos in Ecclesiis, in quibus jus Patronatus obtinebant, pro arbitrio Patroni solebant expellere; vel etiam Ecclesias possessionibus spoliabant potentiores, ut saltem in causa possessionis, sive restitutionis, *en la Reintegrande*, conventi à Clericis spoliatis litigarent coram Judicibus sæcularibus; tum propter regulam vulgarem utriusque Juris, qua Actor sequitur forum Rei; tum verò potissimum quia causa possessionis vertitur: de qua etiam in rebus spiritualibus & Ecclesiasticis ex veteri Consuetudine Angliæ cognitio pertinebat ad Regios Judices in Anglia, sicut agnovit Alexander III. in cap. 7. *Causam que infra qui filii sint legitimi.*

In crimen sacrilegii incidere dicuntur invasores & spoliatores rerum & bonorum, seu possessionum Ecclesiasticarum, & de hujusmodi crimine, de vi bonorum raptorum aut invasionis & occupatæ possessionis apud Ecclesiasticos Judices conveniri debere spoliatores; qui & excommunicationi subduntur *Capitulo cum sit generale*, præsertim in antiqua, & capite 16. *conquestus de foro competenti.* In dicto tamen capit. cum sit generale agnoscit quidem Lucius III. Alexandri III. successor convenientius esse, ut apud Judices sæculares raptores prius conveniantur: nihilo minus tamen propter Judicium sæcularium contemptum, vel negligenti-

etiam; quia, ut loquitur, *in exhibenda justitia personis Ecclesiasticis, saepe in judicio sunt remissi*, in favorem Ecclesiae introductum est, ut statim agatur apud Judices Ecclesiasticos. Quod quidem jus novum ab Alexandro III. primum in casu singulari nostri capituli receptum est, ad puniendam audaciam & dolum spoliatoris, qui judicii mutandi causâ, id est ut à Judicibus Ecclesiasticis ad Laicos cognitionem transferret, ideò spoliaverat Ecclesiam, argumento *Tituli de alienatione judicii mutandi causâ facta*. Postea prætextu contemptus aut negligentiae saecularium Magistratum, quem præterea semper præsumi volunt, ad Judices Ecclesiasticos omnes omnino causas spoliationum transtulerunt dicto cap. cum sit generale. Quod iterum jus confirmatum fuit à Gregorio IX. in *Capitulo conquestus de foro competentis*. Contrarius tamen usus perpetuò in Anglia permanit, ut nempe quocumque colore & prætextu super possessione & spoliatione vel juris Patronatus vel bonorum & possessionum Ecclesiasticarum controversia moveretur apud Regios Judices, non autem ad inferiores Judices judicium pertineret. Nec prætextu criminis sacrilegii, de quo supra, auferri sibi passi sunt hujusmodi cognitiones de possessione rerum Ecclesiasticarum. Quare iterum inter articulos, quos Episcopi Angliæ pro suis libertatibus conservandis obtulerunt Henrico III. anno 1257. secundum Matthæum Paris inter *Addimenta*, articuli super ea re plures habentur, nempe 5. 6. 7. 26. 29. 34. 35. & 40. ex quibus tres postremi apertissimè explicant Decretales, quas supra explicuimus, contrario usu rejectas fuisse: & 40. articuli verba hæc notanda. Item si de possessionibus datis Ecclesiis vel Monasteriis in puram & liberam eleemosynam, vel etiam in feudum, Monasterium vel Ecclesia spoliatur, committitur sacrilegium; etsi super hoc spoliatus conqueratur, vel Judex Ecclesiasticus officio suo contra spoliatores & sacrilegos velit procedere, vel super aliis injuriis proximè annotatis, per prohibitionem regiam impediuntur spoliatis vel oppressis justitiam exhibere. Item inter articulos, quos per provisionem dicti Episcopi tunc sanciverunt observandos. *Quia igitur saepe contingit &c. pag. 205. & 208.* Nitebantur autem Reges Angliæ non tantum jure communi, quo cognitio de possessione plurimum habet facti & temporalis videtur esse, & quia sapissimè partes contingit ad arma & rixas procedere, cujus vis coercendæ autoritas & potestas ad solos Reges eorumque Judices pertinet. Nitebantur præterea antiquo privilegio Nicolai II. concessio Edouardo Regi 1066. his verbis. *Vobis verò & posteris vestris Regibus committimus ad vocationem & tuitionem loci ejusdem, id est Monasterii Wesmonasteriensis, & omnium totius Angliæ Ecclesiarum, ut vice nostra cum consilio Episcoporum & Abbatum constituatis ubique, quæ justa sunt.*

Quod verò ad causas juris Patronatus spectat, antiquo etiam usu Angliæ pertinuit ea cognitio ad Judices Regios, sicut constat ex *recognitione libertatum Angliæ*, quæ sub Henrico II. solemniter in ejus præsentia & in Parlamento habita est Clarendonæ anno Domini 1164. occasione discessionum & discordiarum saepe emergentium inter Clerum & Judiciarios Regis & Magnates regni, Matthæus Paris in *Henrico II.* cui quidem libertatum recognitioni interfuit, & subscripsit etiam autoritate Regis territus Thomas Cantuariensis. Et quidem in articulo 1. de *Advocatione & presentatione Ecclesiarum*, Si controversia emerferit inter

*Laicos, vel inter Laicos & Clericos, vel inter Clericos; in Curia Domini Regis tractetur & terminetur.* Quem articulum, & alios quosdam in dicto Clarendonensi Conventu editos, damnavit postea Alexander III. tanquam contra libertatem Ecclesiasticam & Decretales Pontificum, ut constat ex *actis* relatis à Baronio ad annum Christi 1164. numero 37. Ranulfus de Glanvilla eodem tempore sub Henrico II. totius Angliæ magnus Justitiarius *tractat de Legibus & Consuetudinibus Angliæ lib. 1. de placitis, quæ pertinent ad Curiam Regis cap. 3. In curia Domini Regis habent ista tractari & terminari, placitum de advocacionibus Ecclesiarum, &c.* Et toto libro 4. de Advocacionibus Ecclesiarum tractatur; maximè verò in *cap. 12. & seqq.* In quo *cap. 12.* Notandum etiam, quandoque contingit, quod Clericus aliquis movet alicui Clerico controversiam super Ecclesia aliqua in Curia Christianitatis, id est Episcopalis, vel Officialitatis; si per diversos Advocatos advocent se Clerici illi, ad defensionem alterius Advocatorum defendetur placitum illud in Curia Christianitatis; donec difracionetur, id est judicetur & terminetur, in Curia Domini Regis, ad quem Advocatum pertineat Advocatio ejusdem Ecclesiæ, & per hoc breve. Rex Judicibus illis Ecclesiasticis salutem. Indicavit nobis R. quod cum J. Clericus suus teneat illam Ecclesiam in illa villa per suam præsentationem, qua de sua est Advocacione, ut dicitur; M. Clericus eandem petens ex advocacione M. Militis, ipsum J. coram vobis in Curia Christianitatis inde trahit in placitum. Si verò præfatus M. Ecclesiam illam difracionaret ex Advocacione prædicti M. palam est quod jam dictus R. jacturam incurreret de Advocacione sua. Et quoniam lites de Advocacionibus Ecclesiarum ad Coronam & dignitatem meam pertinent; vobis prohibeo, ne in causam illam procedatis, donec difracionatum fuerit in Curia mea, ad quem illorum Advocatio illius Ecclesiæ pertineat. Sequitur & in *cap. 14.* aliud Mandatum Regis super eadem re directum Vicecomiti in villa, in qua sita erat Ecclesia, quo jubebatur prohibere non tantùm Judicibus Ecclesiasticis, sed etiam ipsi partibus litigantibus sive Clericis sive Laicis, ne super hujusmodi causis coram Judice Ecclesiastico litigarent. Et iterum idem Ranulfus *lib. 13. cap. 17. 18. 19. 20. 21. 22.* ex quibus constat omnes de Jure Patronatus controversias, sive super possessione & saisina, sive de ultima præsentatione, vel de ipso jure Patronatus, non obstantibus dictis constitutionibus Pontificum, ad Judices Laicos pertinuisse. Quod jus ex Gallia, & præcipuè ex Neustria in Angliam à Guillelmo primo translatum fuit in Angliam, & transit unà cum victore Principe, quem & jura & Leges Galliæ intulisse in Angliam testatur Eadmerus Monachus *lib. 1. historia Novorum sui temporis*; præcipuè cum jus Anglicanum conveniat ferè in omnibus cum veteribus Consuetudinibus Neustriæ, maximè circa jus Patronatus, ut constat ex *tit. de jure Patron. & ex Charta veteri*, quæ inserta est *tomo 2. Libertatum Galliarum cap. 35. num. 7. in principio*, juncto libello, sive petitorio Episcoporum Neustriæ, quod in veteri Consuetudine in fine *tituli de jure Patronatus* extat, ad quod rescribit Philippus Augustus post receptam, fugatis Anglis, universam Normanniam, scilicet anno Domini 1204. Anno enim 1205. Philippus Augustus ab Episcopis & Baronibus Neustriæ aditus, & utrorumque relationibus ad se perlatis, dictam chartam super jure

Patronatus videtur promulgasse; quamvis nominatim annus non fuerit ascriptus in dicto Rescripto Philippi, nec in relatione Episcoporum, sed in Baronum tantum. Unde in dicto Rescripto Philippi pro *Guillelmo Archiepiscopo Rothomagensis*, legendum *Gualterus*, ex fide historiae. Quo quidem rescripto præter jus antiquum, quo soli sæculares Judices judicabant de advocacionibus Ecclesiarum, & testes duodecim ex sæcularibus admittere solebant generaliter; sive inter Laicos, sive inter Clericos tantum, sive inter Laicos & Clericos disceptaretur: indulgit tamen Episcopis Neustriæ Philippus, ut si inter duos Clericos, de jure Patronatus oriretur quæstio, Episcopus vel delegatus ab Episcopo unà cum Bailivo Regio judicaret, & ut quatuor Milites & quatuor Presbyteri viciniore testes adhiberentur. Plurima enim benignè Episcopis & Clero Neustriæ concessit, & restituit. *Guillelmus Brito lib. 8. Philippidos.*

*Rex malens bonus esse malis, assuescat amando  
Ut sibi paulatim populos, ne se peregrinis  
Consuetudinibus arctari fortè querantur;  
Judicia & Leges non abrogat: imò tenenda  
Omnia confirmat generaliter, hætenus illis  
Observata, quibus non contradicit apertè  
Jus, aut libertas non deperit Ecclesiarum.*

Angli tamen jus antiquum retinuerant, adeò ut *Ostiensis tit. de foro compet. num. 11. ad capitulum quanto de judiciis* notet, quod quicquid dicat hæc littera, in curia ejusdem Regis contrariam de facto judicatur. Quod nec prætermisit Autor anonymus eruditi *libri de antiquitate Britannicæ Ecclesiæ in vita Thomæ Cantuariensis*, quem immeritò tamen & falsò traducit. In Gallia verò nostra idem jus perpetuò obtinuit, unde & in Angliam translatum. Et in Pragmatica S. Ludovici adversus novas Pontificum Constitutiones & praxim Curia, cautum his verbis. *Ut Ecclesiarum regni nostri Prelati, Patroni & Beneficiorum Collatores ordinarii jus suum plenariè habeant, & unicuique sua jurisdictio servetur.* Et iterum sub Philippo Pulchro ea de re certatum; & à parte Regis acerrimè propugnatum, quod in partibus plerisque regni Franciæ ad ipsum dominum Regem, & ejus curiam cognitio pertinere dicatur ex consuetudine antiqua, tantis inconcussè servata temporibus, ut de contrario memoria non existat *tom. 2. Libertatum Gallia capite 7. numero 9. & ibi notata, & numero 22. & iterum cap. 24. numero 7. in fine & cap. 35. numero 7.*

Quod si Christianorum Imperatorum Constitutiones inspiciamus, ab illis potissimum jus Patronatus fundatum & constitutum docuimus initio hujus tituli: imò & Episcoporum negligentiam circa exequenda jura foundationum Imperatores, & eorum Judices suplevisse constabit. Quod & antiquis Canonibus proditum in *Can. 31. xvi. Quæst. 7. ex Concilio Toletano*, ibi: *Si autem Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auribus intimare non differant.* Et in Synodo Romana sub Leone IV. apud Luitprandum de vitis Pontificum *Can. 24. Si in secularium hominum jure constituta sunt Ecclesiæ, si admoniti ab Episcopis Presbyteros infra trium mensium spatium ibidem neglexerint constituere, absque neglectu Principis urgeat Episcopus, ut ejus sententia emendetur, id est ut Principis sententiã*

& à Judicibus sæcularibus Patroni Laici coërceantur. Quod nec mirum videri debet; cum jus Patronatus sive foundationis, potius existimetur temporale quàm spirituale, vel mixtum, utpote cujus juris etiam Laici capaces sint, & quod ad hæredes suos transmittant, cum universitate possessionis vendere possint, & præscribere: & veriùs ordinatum ad spiritualia dici possit; quamvis aliquid ex spirituali jure ei cohæserit propter illam ordinationem ad spiritualia. Quam opinionem veteres aliquot Interpretes & novi sequuntur, quam de Selva probat & confirmat latissimè *tract. de Beneficiis* 1. parte *Quæst.* 7. pag. 256. & Molinæus ad *Senatus-consulta contra abusum Paparum* numero 35. 36. & sequentibus. Et hi quidem omnes sequuntur sententiam Hugonis de sancto Victore, & Joannis Gerson *lib. de Vita spirituali anima lectione* 2. corollario 3. *Falluntur & fallunt quidam Canonistarum præsertim in materia, quam tractamus de simonia, ubi spiritualia judicant illa, quæ esse carnalia nullus nescit. Et lectione* 3. pag. 887. *Nihilominus ut æquivocatione non fallamur, rememoranda est distinctio de iis, quæ spiritualia propriè dicuntur, & quæ solum attributivè, quemadmodum sunt Beneficiorum Ecclesiasticorum redditus & similia, certè carnalia & temporalia; nisi quod spiritualibus subserviunt, eisquæ dicata sunt. Hac autem adinventio annexa spiritualitatis turbationes plures, quàm potest scribi, traduxit in Ecclesiam.* Itaque disceptabantur tam in Anglia, quàm in Neustria controversiæ de jure Patronatus in curia Regis & coram Judicibus Regiis, non autem apud Vicecomites Provinciarum, sicut constat ex iis quæ notavimus, & ex *lib. 1. Legum & Consuetudinum regni Angliæ cap. 3.* scripto à Ranulfo de Glanvilla. Quare quod in relatione supra citata Baronum Normanniæ ad Philippum Augustum post hæc verba, *in curia domini Regis*, additur; *vel in curia illius, de cujus feudo moveret Ecclesia*; quod in nova publici status mutatione Barones, in rem suam attentè, per subreptionem usurpare nitentur, omisit Philippus Augustus, & negavit. Nam in suo rescripto de solis Regiis Judicibus, sive Baillivis, ut vocat, in disceptandis causis juris Patronatus mentionem facit.

#### AD CAP. XXII. ET XXVII.

Quamvis horum duorum Capitulorum sententiam explicaverimus in *cap. 1. & 12.* supra, quædam tamen addenda supersunt. Et quidem quamvis videatur secundum verba contextus *d. Capitulorum* tempus quatuor, vel sex mensium, quod Patronis datur ad præsentandum, statim incipere à tempore vacationis Ecclesiarum, & continuò fluere hac summa ratione, quæ pro religione facit, ne Ecclesiæ Pastoribus viduatæ diutiùs remaneant; cum hac tamen exceptione intelligendum, dummodo publica fama constiterit de ultimi possessoris obitu. Itaque non semper præcisè à tempore vacationis & obitus, sed à tempore notitiæ ipsius, ut omnis captio vitetur, argumento *capituli 5. de concessione Præbendæ & Ecclesiæ non vacantis.* Quod expressum secundum sententiam veterum Interpretum in *veteri & nova Consuetudine Neustriæ.* Eodemque argumento sicut concessio Ecclesiæ nondum vacantis nulla est & irrita; ita etiam nominatio & præsentatio Patroni, vel ejus mandatum, sive procuratio



curatio & facultas nominandi & præsentandi nomine Patroni, nondum vacante Ecclesiâ facta, omnino nulla est & irrita *cap. ult. de concessione Ecclesiæ*. Ad id autem quod dicitur elapso tempore Canonibus indulto Patronis ad præsentandum, ad Ordinarium liberam institutionem & collationem omnino pertinere, additur in *cap. 12. supra*, institutum ab Ordinario iterum à Patrono (dicis causâ) esse præsentandum. Quod eò pertinet, ut postea vacante Beneficio, in possessione præsentandi Patronus qui vicerit, in possessione juris Patronatus constitutum se docere possit. Nec enim ex institutione libera Episcopi, vel propter negligentiam, vel propter litem exortam, ullum præjudicium in posterum Patronis generatur *cap. 2. de supplenda negligentia Prælatorum in fine*. Præterea ad hoc prodest nova illa præsentatio, ut si quid ab antiquo Patrono jure præstari convenerit, compellatur præstare, sicut probavimus ad *cap. 22. supra*. Ex quibus constat desumptum, quod in *veri Consuetudine Neustriæ* latius in fine *tituli de Jure Patron.* adnotatur eruditissimè. Sciendum est, quod si aliqua Ecclesiâ per sex menses vacaverit, post habitam notitiam de decessu Rectoris illius, & communiter publicatam, Ordinarius loci eandem dare poterit cui voluerit, nec ejus collationem Patronus illius poterit impedire, sive ex contentione mota de jure Patronatus, sive ex negligentia Patroni vacaverit. Lite tamen terminata, qui jus Patronatus obtinuerit, fidelitatem de Rectore percipiet instituto. Quæ ferè omnia in novam Consuetudinem translata fuerunt: cujus juris postremi hanc rationem vulgò reddunt; quia sicut feudum vassallus tenet à domino, ita & Beneficium Rector ex liberalitate Patroni, qui fundavit Ecclesiam, percipere intelligitur.

## AD CAP. XXIII.

**H**oc nostrum capitulum sicut notatur in *antiqua Collectione*, prima pars est capituli ad abolendam II. de hereticis in eadem *Collect.* I. cujus etiam particula refertur in *capit. 9. infra de hereticis*: & utrumque ferè integrum continetur in *dicta Collect.* I. Raymundus enim multa sustulit & detraxit. Desumptum verò fuit utrumque Capitulum ex *in-signi & generali Constitutione Lucii III.* quam in *antiqua* ait, Imperatoris Friderici præsentia & vigore suffultam, & de communi consilio fratrum, id est Cardinalium, aliorumque Patriarcharum, Archiepiscoporum, multorumque Principum profertur edidisse in ipsa *dicta Constitutione generali*; in qua primùm novas hæreses, quæ plurimæ illo tempore subortæ fuerunt, præsertim in Aquitania, anathemati subjicit, cujusmodi erant Cathari, & Albigenes, ut constat ex *cap. 6. 7. & 10. in I. Collectione tit. de hereticis*. Post damnationem hæreticorum adjunxit Sanctiones, quæ continentur in hoc *capitulo* adversus præsumptiones & usurpationes sacrilegas eorum, qui prætextu Advocationis, Patronatus, Vice-dominatus, Guardia, sive custodia, aut alio quocumque nomine, exactionibus Ecclesias & eorum homines solebant prægravare: quibus præcipit, ut præter antiquos & moderatos redditus, in ipsa fundatione constitutos, & ab Episcopis probatos, nihil exigere possint. Quod & ante Lucium III. sæpius prohibitum fuisse ostendemus. Deinde quia hu-

jusmodi Patroni, Advocati & ceteri Patronatus jura, quæ ipsis competebant, in alios titulo donationis, emptienis, aliisque pro suo arbitrio transmittentibus: hujusmodi contractus in totos contra Canones nullos & irritos esse decernit. Et quidem quod ad prohibitionem alienationum, plenissimè diximus in explicatione *Capituli 5. §. 1. cap. 13. & 16. hoc tit.* in quibus donationem juris Patronatus separatim Laïcis factam, interveniente tamen consensu Diocesani, communi sententia Interpretum fuisse receptam docuimus. Separatim, inquam, factam; id est seorsim & separatim à feudo vel castro, cui accedit jus Patronatus: quamvis, sicut monuimus, in Decretalibus nihil expressum reperiamus de donatione juris Patronatus seorsim facta Laïcis, id est absque feudo vel castro, cui accedit. Unde à quibusdam Interpretibus improbatum, & ab omnibus necessariò requiritur Diocesani consensus. Unde etiam in *veteri & nova Consuetudine Neustriae* hujusmodi donatio, separata à castro vel feudo, inutilis est & irrita: imò etsi cum particula feudi jus Patronatus vendatur, aut donetur; hujusmodi contractus, quantum ad jus Patronatus pertinet, irriti sunt.

Notandum tamen ex dicta Consuetudine, etsi Ecclesiis jus Patronatus donatum fuerit (quod licet ubique Jure Canonico, & ex novissima *Constitutione Bonifacii VIII. in cap. 8. de Jure Patron. in vi.* etiam sine consensu Episcopi Diocesani) receptum esse, ut donator jura præsentationis & temporalia, si quæ ei debeantur transtulisse intelligatur, salvis tamen honorificis titulis, qui Patronis competunt: quæ jura non tantum ipsis donatoribus, sed eorum posteris conservantur. Quod tamen vix in aliis locis obtineret, quia nihil super hoc articulo invenitur definitum. Regulariter enim puræ & perfectæ donationi nulla conditio, vel modus injici potest post perfectam donationem, sed tantum in continenti, id est in donatione facienda *Lege 4. Cod. de donationibus.* Equum tamen videtur hujusmodi exceptionem & reservationem circa honores in donatione Juris Patronatus ubique posse admitti. Confirmatur autem decisio hujus *capituli* de prohibitis alienationibus in *capit. 28. Extra de Simonia.*

Secunda verò decisio est hujusmodi. Prohibentur usurpationes illicitæ novorum jurium, quæ à Patronis, Advocatis & Vicedominis, Custodibus & similibus passim in perniciem Ecclesiarum, adversus res & homines Ecclesiarum præsumebantur, quarum exactionum & usurpationum quædam sæpius nominatim in *hac Constitutione* memorantur, additis nominibus & appellationibus subobscuris, quas explicabimus infra. Confirmatur verò hæc decisio tam veteri Jure Canonico, quam novo pluribus locis, quæ in usum studiosorum collegimus. In *Can. 13. 14. & 15. Causa x. Quest. 1.* generaliter interdicitur Laïcis, ne quid de oblationibus Ecclesiis & altaribus factis auferant & detineant. In *Can. 24. 25. 29. 31. & 38. Causa xvi. Quest. 7.* quælibet dispositio & dominatio de facultatibus, sive possessionibus Ecclesiasticis, Laïcis admittitur. Nec tantum quibuslibet Laïcis, sed nec Patronis & Fundatoribus, vel hæredibus eorum in iisdem rebus licet quasi juris proprii potestatem præferre, non rapinam, non fraudem ingerere, non quamcumque violentiam præsumere. Quod malum licet sæpius prohibitum, vix tamen reprimi

potuisse frequentissimæ Constitutiones, posterioribus temporibus repetitæ apertissimè declarant *cap. 13. & 26. hoc tit. in 1. Collectione cap. 3. 4. 15. hoc nostro tit. cap. 2. de supplenda negligentia Prælatorum cap. 8. 9. & 15. Extra de censibus*. In quibus adversus hujusmodi usurpationes, rapinas & varias exactiones Patronorum, sive Laicorum, sive Ecclesiasticorum, & præcipuè Monachorum, utiliter multa constituntur. Et in *cap. 7. supra de statu Monachorum in fine. cap. 11. de pœnis*: quæ duo Capitula petita sunt ex Concilio generali Lateranensi sub Innoc. III. & in quibus statuitur, ut non tantùm Patroni, sed Advocati aut Feudatarii, seu Vicedomini, aut alii Beneficarii alicujus Ecclesiæ, id est qui feudum, sive Beneficium, vel aliam similem administrationem quocunque titulo aut nomine obtinent in Ecclesia vel Monasterio; non præsumant dictas Ecclesias vel Monasteria in rebus aut personis offendere, sed eas tueri & defendere teneantur, juxta munus sibi injunctum. Quinimò Gregorius X. in Concilio generali Lateran. Constitutione generali, quæ extat *cap. 13. de Electionibus in vi. fancivit*, ut nemo quantæcunque dignitatis honore præfulgeat, Regalia, Custodiam, sive Guardiam, Advocationis sive defensionis titulum in Ecclesiis, Monasteriis, seu quibuslibet aliis piis locis de novo usurpare studens, bona Ecclesiarum, Monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium occupare præsumat. Quod verò pertinet ad reliquos, qui ab ipsarum Ecclesiarum, cæterorumque locorum fundatione, vel ex antiqua consuetudine hujusmodi jura sibi vindicant, ab illorum abusu præcipiuntur abstinere, eisque injungitur, ne bona, quorum se asserunt habere custodiam, dilabi permittant, sed in bono statu conservent. Præter antiquos igitur & moderatos redditus, vel in fundatione ipsa consensu Episcopi constitutos, vel ex antiqua consuetudine receptos, quidquam ab Ecclesiis, vel Monasteriis exigere prohibentur, sicut supra ostendimus ad *capit. 7. hoc tit.* Quod & ad hoc capitulum Glossa pluribus confirmavit.

Supereft ut aliquid dicamus de variis Titulis, de quibus hoc capitulo. Et quidem primùm de jure Advocationis, quod meritò separat hoc capitulum ab ipso Patronatu: quamvis sæpe in hoc titulo Advocati & Advocationis nomen pro Patrono & jure Patronatus accipiatur. In fine Patronatuli explicavimus, quinam primùm, & quales primis temporibus Ecclesiarum Advocati constituerentur Jure Canonico veteri & constitutionibus Imperatorum; qui nempe ad tuendas & defendendas Episcopatum & Monasteriorum causas in foro coram publicis Judicibus assumebantur de numero Causidicorum. Procedente autem tempore, hujusmodi Advocatis exercendæ jurisdictionis potestas & facultas permilla est, & data ab Episcopis & Abbatibus in villas & oppida, quæ liberalitate Regum & Magnatum eis concessa fuerant, jure optimo maximo (*Droits de Justice & Seigneurie*) eisque Advocatis certa constituta salaria de redditibus Ecclesiæ, & pars multarum, quæ temerè litigantibus solent infligi, eis tributa, sicut ex locis infra citatis manifestè constabit. Adrealdus Monachus Floriacensis *lib. 1. de Miraculis S. Benedicti cap. 25. lib. 3. cap. 13. & lib. 4. cap. 6.* Concilium Moguntinum sub Leone III. & Carolo Magno *can. 5. tomi 3. Conciliorum Gallix parte 2. pag. 202.* Concilium Rom. *can. 19. & 20. Legum Longobardorum*

*lib. 2. tit. 47. de Advocatis & Vicedominis Lege 3. 4. 5. 6. 7. 8. & 9.* In qua *L. 9.* ratio hæc refertur Constitutionis hujusmodi Advocatorum, quia *Episcopi & universi Sacerdotes ad solam laudem Dei & bonorum operum actionem constituuntur*, nec debent negotiis sæcularibus implicari. Et quidem notandum Legem 3. ex supra citatis, exscriptam esse ex dicto Concilio Moguntino sub Leone III. & Carolo Magno. Et iterum *lib. 3. dictarum Legum titulo, Qualiter iudicium inter Episcopum & privatum fieri debeat, Lege unica. Statuimus, ut ubicunque Episcopi substantiam habuerint, Advocatum habeant in ipso Comitatu, qui absque tarditate justitiam faciat & suscipiat.* Adeoque invaluit, & augeri cœpit hujusmodi Advocatorum autoritas & potestas, ut eorum arbitrio & nutu ferè omnia negotia Ecclesiastica transigerentur: imò & in eorum manibus renuntiationes, sive resignationes fiebant. Quod prohibetur tanquam Canonibus contrarium in *Can. Gonsaldus XVII. Quest. 2. & Can. Salvator 1. Qu. 3.*

Solebant autem hujusmodi Advocati constitui, vel ab ipsis Fundatoribus in Charta foundationis, vel ab ipsis Ecclesiis & Monasteriis eligi, & advocari ad tuitionem & defensionem earum, certis redditibus & juri- bus eis assignatis in bonis Ecclesiarum, vel etiam aliquando Beneficiis & feudis eis concessis. Advocatorum autem constituendorum variæ formæ fuerunt, conditiones & jura, nempe pro arbitrio & voluntate Fundatorum, sicut constat ex variis foundationum *Chartis*. Reges enim & Principes ipsos solebant Fundatores, tanquam majores Advocatos, constituere, quibus adjungebant Subadvocatos, qui eo munere in actu fungerentur, idque vel ad tempus, vel ad vitam, vel in perpetuum, interveniente tamen Episcoporum vel Abbatum consensu, & confirmatione præterea Imperatorum & Regum accedente. Quæ omnia colliguntur ex *Codice piarum donationum Miræi cap. 32. 33. 34. 62. 72. 76. 83. 95. 173. 176.* Et quidem in *cap. 95.* enumerantur varia jura illicite præsumpta & usurpata ab Advocatis his verbis: *Exactiones, tallias, quas quidem precarias vel petitiones nominant, vel accubitus vastatorios* (Droit de giste, sive jus procurationis in Jure Canonico; in nostro *capit. Albergarias, sive Alibergarias*) *regia censura contradicit Advocatis.* Idem Miræus in *Codice diplomatum Belgicorum cap. 17. 32. 34. 35.* Nauclerus *generatione 27. in fine* refert *Chartam* Caroli Magni, qua Ulmensis Monasterii Advocati officium, merces, salaria & proventus intra certum modum rediguntur & præscribuntur. Nimiâ vero postea potentiâ elati, multa in ipsas Ecclesias earumque homines & bona præsumperunt, ita ut in ordinem cogi non tantùm Conciliis & Sum. Pontificum Constitutionibus, sed etiam Imperatorum & Regum autoritate & auxilio necesse fuerit, sicut indicatur in *locis citatis, & ex Chronico Cameracensi lib. 3. cap. 57. & 62.* & in *Chronico Hirsaugiensi* Trithemii in Carthis donationis & restitutionis illius Monasterii, Imperialibus codicillis confirmatis, in quibus specialiter enumerantur legitima jura, quæ præstantur Advocatis Monasteriorum, & illicita prohibentur dicti *Chronici pag. 8. 86. 123. & 127.*

Cœperunt autem procedente tempore hujusmodi Advocati propter varias injurias & vexationes in odium publicum incurrere, quod supra plu-

ribus exemplis confirmavimus : quibus addimus Eugenii III. in Concilio Remensi (*Canonem 6. tom. 3. Conciliorum Gallix parte ultima pag. 656. anno 1146. his verbis. Autoritate Apostolica Prohibemus, ut nullus Advocatus præter jus & Beneficium antiquitus constitutum sibi, aliquid accipere vel usurpare præsumat. Subadvocatos vero & exactores eorum modis omnibus ab Ecclesiarum infestationibus removeri præcipimus.* In eandem sententiam scribit Innocentius III. *lib. 14. Registri epist. 123. & 124. 126. 127. & lib. 15. epist. 81. & lib. 16. epist. 22. & 159.* in quibus vexationibus, procurationibus annuis, injuriis & damnis Monasterii Virziliacensis, ab Herveo Comite Nivernensi illatis tractatur : propter quæ à Sum. Pontifice excommunicatus fuerat, & sæpius à Philippo Augusto increpitus, tandemque in *dicta epist. 159.* refertur concordia inita inter Abbatem & Conventum & dictum Comitem & Comitissam Nivernensem, eique Advocationis nomine certa summa præfitur, duabus pensionibus quotannis solvenda, *si ipse ejusque successores ad suprascriptum Monasterium accederent ad protectionem ejusdem secundum quod de jure tenentur, dantes operam efficacem.* Ad cujus compositionis, sive transactionis majorem cautelam & observantiam Pontifex addit, *Faciant hoc per carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Francorum auctoritate Regia confirmari.* Sicut enim supra diximus, necessaria est confirmatio. Non dissimilis extat Gregorii III. epistola ad Archiepiscopum Coloniensem & ejus Suffraganeos *tom. 3. Conciliorum Gallix parte ultima pag. 699. his verbis. Cùm plerique Advocati Ecclesiarum Advocationis obsequium convertentes in dominationis abusum, Ecclesias ipsas opprimant & affligant; Fraternalitati vestre mandamus, quatenus Ecclesias vestrarum Diocesium, humano amore ac mundano timore postpositis, ab Advocatorum vexationibus defendere studeatis &c. Ad hæc si quas Advocatias vacare contigerit, expressè inhibeatis Ecclesiis, ad quas spectant, ne illas conferre præsumant, sed suis curent usibus applicare. Illud districtius inhibentes, ne una Ecclesia plures Advocatos assumat; cùm ministerium Advocatorum hujusmodi, quod ad Ecclesiarum tranquillitatem noscitur fuisse provisum, ad vexationem ipsarum per eorum usurpationes constet esse conversum.* Et simili ratione prohibita venditione, pignoratione & donatione Advocatiarum extraneis; receptum tamen est, ut advocationes donari & pignori obligari liceret ipsis Ecclesiis, à quibus & ad quas exorta fuerant & pertinebant Advocationes hujusmodi, *Constitutione ejusdem Gregorii III. & quidem etiam cum hac conditione, ut durante causa pignoris, fructus & redditus Advocationum in suos usus converterent, nec in sortem imputarent.* Facilius enim redduntur res propriæ naturæ. Præterea compensantur hujusmodi fructus cum servitio, quo pro Advocatiis tenentur Advocati, & à quo interim pignore durante, sunt immunes *cap. unico de pignoribus in 5. Collectione, & argumento Capituli 1. Extra de feudis.* Quæ omnia valdè illustrent plerosque Canones & alios Scriptores.

Non valdè distant ab Advocatis Vicedomini. Quare sæpius in Canonibus & Constitutionibus supra citatis, & passim apud alios Scriptores conjunguntur. Olim verò Vicedomini appellabantur illi, quibus Episcopi, vel Abbates, vel majores Prælati bonorum & possessionum Ecclesiasticarum administrationem, curam & tuitionem committebant, qui &

Oeconomi, Procuratores, Præpositi, sive Dispensatores & Májores-domus solent appellari. Dicti Vicedomini, quia vices Episcoporum & Abbatum in temporalibus gerunt, sicut tutor in jure Vicedominus appellabatur in *Lege 157. ff. de Regulis juris*. Qui olim Vicedomini non ex Laicis, sed ex Clericis probatis secundum Canones eligi debebant *tota Dist. LXXXIX.* Procedente tamen tempore compulsi fuerunt, potentiores & Magnates Laicos Advocatos sibi eligere tam propter publica, quam privata bella & invasiones ac prædas potentiorum. Quibus Advocatis & Vicedominis certos redditus & feuda pro mercede & honorario concedebant, aliquando ad tempus, vel ad vitam, vel in perpetuum, etiam eorum posteris. Qui Vicedomini, sicut & Advocati, graves tandem & molesti esse cæperunt ipsis Episcopis, Ecclesiis & Monasteriis. Occasione enim & prætextu administrationis bonorum Ecclesiarum abutebantur jure suo, & feudorum aliquot, quorum administrationem tantum habebant, proprietatem usurpabant: cujus dignitatis plurima in Gallia vestigia supersunt, & vulgò vocantur, *Vidames*.

Quod ad jus Custodiæ, sive Guardiæ pertinet, de quo in *hoc Capitulo*, ita describi potest, jus quod vacantibus Ecclesiis, mortuo Episcopo, vel Abbate, aut Prælato majori, ex antiquissima consuetudine competit Imperatoribus, Regibus, & summis Principibus utendi fruendi redditibus & fructibus omnium bonorum & possessionum Ecclesiasticorum vacationis tempore. Quod jus nominatim in Concilio Lugdunensi generali fuit confirmatum *capit. 13. de Electione in VI.* in quo hic modus præfinitur, ut tantum fructus & redditus vacationis tempore provenientes suos faciant, & à reliquis usurpationibus abstineant, nec cætera bona, quorum sibi asserunt custodiam, dilabi permittant, sed in bono statu conservent. Quod jus concessum fuit ratione protectionis & tuitionis, quam Ecclesiis impendunt: Quod in veteribus Legibus & Capitularibus & apud antiquos Scriptores rerum nostrarum *Mundeburde* solet appellari. Vulgò vocamus *jus Regalium*, quod esse antiquissimum, & cum Imperio Gallicano natum probavimus ad *titulum de Electionibus*, & ab ipsis Sum. Pontificibus, ab Innocentio III. & à Gregorio X. duabus specialibus constitutionibus confirmatum; imò ex Gallia translatum in Angliam à Guillelmo II. Cujus juris certas probationes ibidem attulimus ex *cap. 6. de Jure Patronatus in I. Collectione*; cui addimus *cap. 3. de Institutionibus*, & ibi Molinæum. Quod jus frustra aliquando impugnare magno suo incommodo Bonifacius VIII. tentavit sub Philippo Pulchro, cui & Galliæ fuit infensissimus. Competit tamen jus illud Custodiæ, dummodo rectè & boni viri arbitrio rebus & possessionibus Custodes utantur fruantur: quod *d. capitulo 13. de Electionibus in VI.* præscribitur; ita ut bonis & proprietati damnum & vastatio non inferatur: quod in *hoc nostro Capitulo* repetitur, id est abusus omnis vetatur. Quam in rem insignis est vetus constitutio Latina Philippi Pulchri an. 1302. in qua enumerantur abusus, & præscribitur expressissimè modus utendi fruendi.

Est & aliud jus Custodiæ, quod Episcopis, vel ex concessione eorum & longa consuetudine aliquando in quibusdam provinciis Archidiaconis competit, quod est hujusmodi, ut in Beneficiis, quorum institutio ad eos pertinet, jus habeant vacationis tempore fructus & redditus omnes

percipiendi, & in suos usus convertendi, deductis necessariis impensis, quæ vel Ministris, qui sacra interim peragunt, vacationis tempore solent præstari; vel quæ ad refectionem, tuitionem & conservationem ædificiorum, & possessionum Ecclesiasticarum cultum desiderantur: cum tamen jure communi & veteri Canonum fructus vacantium Ecclesiarum & redditus Beneficiorum vel in alimenta eorum, qui ministrant vacationis tempore; vel in usum & utilitatem ipsius Ecclesiæ cedant, de cujus possessionibus percipiuntur. Quod si aliqui præterea supersint, futuro successori conservandi sunt ab Oeconomio viduatæ Ecclesiæ *Can. 25. Chalcedonensi*, qui refertur à Gratiano in *Can. Quoniam quidam Dist. lxxv.* ad cujus explicationem & confirmationem pertinent *Can. 43. 46. 47. & 48. Causa XII. Qu. 2.*

Illicitas postremò exactiones, quas Patroni & Vicedomini exigebant ab hominibus Ecclesiarum, tanquam à propriis rusticis, & novis & variis nominibus exprimebant, enumerat hoc Capitulum Fodrum, Albergarias, Regium. Regii nomine Glossa tributum significari ait, quod Regi penditur. Hoc loco generaliter tributum significatur; capitationem Latini vocant, id est tributum pro capite. Fodrum propriè pabulum jumentorum, & alimenta pecorum significat. Proprio nomine recentiorum Imperatorum constitutionibus & aliis scriptoribus vocantur Capita; unde *titulus libri 1. Cod. tit. 52. de Annonis & Capitatione.* Annonas separat, quæ sumptus sunt hominum, & ex horreis publicis à Republica Magistratibus suppeditabantur.

Fodrum itaque, sive capitum recentioribus Latinis, significat quod vulgò dicimus *fouage*. In *Constitutione Conradi lib. 5. feudorum cap. 1. editionis Cujacii. Fodrum autem de Castellis, quod nostri Antecessores habuerunt, habere volumus. Illud verò, quod non habuerunt, nullo modo exigimus.* Significatur itaque hoc loco fodri nomine, vel præbitio pabulorum in specie, vel adæratio, sive certa taxatio pecuniæ & summæ pro fodro & pabulo præstanda. Hincmarus in *Capitulis suis anni 877. sub Carolo Calvo, Neque ducatis superfluos homines, per quos illos gravetis in cibo & potu, & fodro ad caballos. Capitularia Caroli Calvi pag. 140.* in quo loco idem statuitur, quod in hoc Capitulo, ne in exigendis fodris & annonis præter antiquum & receptum morem quidquam exigatur. Quamvis aliquando fodri nomine latissimè sumpto annonæ militares fumantur, autor *vita Ludovici Pii, Inhibuit à plebeis ulterius annonas militares, quas vulgò fodrum vocant, dari & fodrari. In Capitularibus Caroli Magni appellantur fodrarii, qui hujusmodi annonas exigebant. Vide doctissimum Sirmondum in Notis ad Capitula Caroli Calvi pag. 26.*

Albergariæ verò vocantur non longè dissimili sensu hospitii & annonarum præbitiones, quæ iter facientibus conceduntur. Heribergaria etiam, Heribergum & Heribergare promiscuè usurpantur à dictione Germanica, quam usus Gallicam fecit. Apud vetustiores scriptores nostros paramentum vocari solet, & paratas facere pro eodem in *Capitulis Caroli Calvi pag. 196. & in Notis pag. 48.* Paratæ dictæ à parando, sive præparando. Hincmarus ad Laudunenses Presbyteros, ne Mansionaticos suis amicis, aut suis hominibus à Presbyteris parati faciat. In *Jure & apud bonos autores Metata, mansiones & hospitia (Logement:)*

recentioribus jus gisæ & accubitus, metata & epidemeticæ vocantur *lib. 12. Cod. tit. 41.* quorum occasione & prætextu vetantur Præsides provinciarum & Magistratus ultra licitum modum provinciales onerare *Lege ult. dicto tit. 41. de metatis.* Procuraciones postea in Jure Canonico sæpiùs appellari cœperunt, de quibus in *tit. de censibus exactionibus & procurationibus*, quas Advocatis non pro arbitrio & sæpiùs, sed certis tantùm & statis temporibus, & secundùm antiquum modum exigere licet. Et quidem tantùm eo tempore, quo defensionis & tuitionis causâ, vel juris dicendi villas & possessiones Ecclesiasticas circumeunt, sicut supra ostendimus & probavimus ex *Rescriptis Innocentii III.* Potissimum verò inspiciendum, si modus procurationis & expensarum in fundatione fuerit expressus, argumento *capituli 16. infra de censibus.* Idemque statutum circa Episcopos, Archidiaconos, Abbates & alios, qui visitationis jure Ecclesias invisunt: imò & Delegatis S. Pontificis, quibus & comitatus & expensarum certus numerus & modus Canonibus sæpissimè definitus fuit *Can. 6. 7. & 8. & seqq. Causa x. Quest. 3. & cap. 6. 16. 17. 21. & 23. infra de censibus, exactionibus & procurationibus.*

Caput 24. exposuimus supra in prima parte *cap. 5.*

#### A D C A P. XXV. E E XXX.

**R**espondet Clemens III. ad duas quæstiones sibi propositas, quæ apertissimè proponuntur in *antiqua Decretali*, id est in *cap. 2. hoc tit. in Collectione 2.* Prima est an sola Ecclesiæ constructione aliquis efficiatur Patronus. II. quæstio, utrùm ad electionem Plebani seu Rectoris in Ecclesia Conventuali vel Collegiata cum Clericis Patronus admitti & interesse debeat, vel an debeat excludi; quamvis ex longa consuetudine allegaverit se electioni interesse debere.

Quod ad primam respondet, si cum Episcopi diocæsani consensu ædificata fuerit Ecclesia, ex eo solo jus Patronatus acquiri; quamvis nominatim fundator jus præsentationis sibi non exceperit, id est reservaverit. Competit enim jure communi præsentatio omnibus fundatoribus, quod supra probavimus sæpiùs, maximè in fine explicationis *capituli 1. 2. & 3. & confirmatur cap. ad audientiam de Ecclesiis ædificandis & reparandis.*

Ad secundam verò quæstionem respondet, tractandæ electioni Plebani vel Prælati, qui eligendus est ab omnibus, qui sunt ejusdem Conventus, Corporis, vel Collegii, sive sint Clerici, sive sint Monachi, Patronum se interponere non debere, sed tantùm peractam & publicatam electionem illi esse offerendam, ut assensum præbeat; quem si deneget, rata nihilominus manet electio *cap. 1. 3. 18. 51. & 56. supra de electione.* Subjicitur tamen hæc exceptio: *nisi aliter de sua jurisdictione obtineat*, Patronus scilicet. Quæ verba turbant Interpretes, eaque variè interpretantur. Rejectis reliquis, ea sola videtur vera: nisi ab initio in ipsa fundatione, interveniente consensu Episcopi, ita firmatum & constitutum fuerit jus Patronatus, ut Patrono vel electioni faciendæ liceret interesse, & jus suffragii habere unâ cum Clericis; vel etiam, quod majus



majus est, ut ei competeret jus præsentationis & nominationis Prælati in Ecclesia Conventuali vel Collegiata. Quod & jure veteri obtinuisse probat *Canon Abbatem xviii. Quæst. 2.* & ibi vetus Interpres in hæc verba, *possessionis dominus poposcerat, & Can. 33. & 34. xvi. Quæst. 7.* Molinaus in *Notis ad hoc capit. Jurisdictio in hoc cap. late sumitur pro dignitate, majoritate, auctoritate & potestate, sive præeminentia, qua Patronis competit.*

Ex intervallo verò & postquam fundatæ semel fuerunt Ecclesiæ, hujusmodi jura non possunt obtineri; nec si suffragetur longa possessio, sicut ex hac *Decretali in antiqua* constat. Opus esset præterea S. Pontificis privilegio, nec Episcopi consensus sufficeret. Qua de re plenius scripsimus ad *titulum de Electionibus in cap. 5. & 51.* Itemque quod in *hoc cap.* de honore processionis dicitur, id est de Jure publico procedendi & sedendi loco honorationi, in *Paratitulo* exposuimus; sicut & de alimentis inopi Patrono præstandis & ejus posteris secundum veteres Canones. Intelligit verò *Canonem quicumque xvi. Quæst. 7.* ad quem *Can.* ea de re diximus. Quæ quidem jura omnia Patronatus, solâ præsentatione exceptâ, sicut diximus, competunt etiam Fundatoribus Ecclesiarum Collegiatarum, seu Conventualium, sive nominatim ea jura sibi exciperint in ipsa fundatione, sive non. Satis enim jure communi subintelliguntur. Quoniam autem sæpius Collegiatarum & Conventualium Ecclesiarum mentionem fecimus, in quibus præsunt Rectores, sive Plebani, aliquid de his dicendum.

Conventualis sive Collegiata Ecclesia vocatur, quæ constat ex pluribus Clericis, sive Monachis, quibus publica auctoritate Superiorum, tam Ecclesiasticorum quàm sæcularium jus concessum est in unum conveniendi, & Collegium sive Conventum constituendi; nempe ut commune jus fraternitatis habeant, commune jus suffragii, Capituli, arcæ communis, Syndici, jus condendorum statutorum, jus mulctæ, & communis sigilli, sicut vulgò notant ad *capit. 11. de Constitutionibus, ad capitulum nostrum & 30. infra, & ad capit. Dilecta de excessibus Prælatorum. et capit. (Cum Ecclesia Sutrina 3. de Causa possessionis & proprietatis.* Quibus etiam competit de corpore & gremio Ecclesiæ suæ Prælatum eligere; sive is sit Plebanus, si Ecclesia parœcialis fuerit, sicut in nostro *capit. nobis & in cap. 1. de electionibus* (cui in dicto *capit. nobis* opponitur capella, in qua Rector solus constituitur;) sive etiam Ecclesia Collegiata non sit parœcialis, sed communibus suffragiis Præpositus, vel Decanus eligatur. Sunt & quædam parœciales Ecclesiæ, in quibus plures quidem Clerici habitant, sed non habent jus Collegii: quibus unus Rector præest, sive illi Clerici habitent in eadem Ecclesia cum Rectore, sive per minores Titulos & Capellas: qui omnes debent obedientiam, reverentiam & honorem omnem Rectori Matricis Ecclesiæ, qui idcirco Cardinalis Presbyter, id est principalis, & aliquando Archipresbyter appellatur *cap. ult. de Officio Archipresbyteri cap. 11. de Majoritate & obedientia* (cui jungendæ sunt insignes duæ epistola Eugenii III. quæ habentur *tomo 3. Conciliorum Galliæ parte ultima*) *capit. 30. hoc tit. & cap. ad audientiam Extra de Ecclesiis adificandis vel reparandis, & in Responsis Zachariæ Papæ ad Pipinum Majorem domus cap. 1. & 15. anno Domini 745.* His ita præmissis.

In *cap. 30.* deciditur ad Rectorem parœcialium Ecclesiarum, in quibus habitant plures Clerici, absque jure Collegii tamen, præsentatio nem Ordinandorum Clericorum in dictis Ecclesiis pertinere, non etiam ad Patronum, qui fundavit Ecclesiam. Ad Patronum enim tantum pertinet jus Rectoris ipsius præsentandi. Si tamen contigerit Patronum consensisse hujusmodi Clericorum præsentationi; vacante postmodum Ecclesia parœciali per obitum Rectoris, tenebitur Patronus ex ipsis tantum Clericis, qui resident in Ecclesia, Rectorem præsentandum eligere, non autem ex aliis. Quod si contra non consenserit Patronus, liberum erit aliunde petitum Clericum præsentare, ut Rector ordinetur.

Explicavimus *cap. 26.* in *cap. 13.* Adde tantum *cap. ult. supra de Institut.* & *cap. 2. de excessibus Prelatorum.*

Caput 27. explicavimus in *cap. 1. 2. & 3. supra & capitulo 22.*

### AD CAP. XXVIII.

**Q**Uæ pertinent ad *hoc cap.* explicavimus ferè omnia in fine *Paratituli*, & ad *capit. 5. partem 1.* & ad *cap. 21.* Scriptum verò est ab Innoc. III. ad Archidiaconum & Cancellarium Altissiodorensem. Agébatur etiam de Ecclesia parœciali vacante in Archidiaconatu Carnotensi: cujus speciem Glossa pluribus refert & Cardinalis Ostiensis ad *hoc capitulum.*

Ex hoc verò capitulo confirmantur plures regulæ, quas explicavimus. Hæc verò prima inculcatur potissimum Legatum à latere, imò nec S. Pontificem juri Patronatus Laïco derogare non posse: juri verò Patronatus Ecclesiastico Legatum à latere posse derogare; multoque magis S. Pontificem: quod post multas controversias tandem obtinuit.

Patronus Ecclesiasticus intelligitur non ratione personæ, sed ita si jus Patronatus competat Clerico ratione Ecclesiæ, vel Beneficii sui: alioquin si ratione patrimonii, vel dotationis, vel donationis, aut emptionis per universitatem factæ, intelligetur esse jus Patronatus Laïcum, & eodem jure censebitur. Si tamen jus Patronatus quomodocunque pervenerit ad Capitulum, Collegium, sive Monasterium; hujusmodi jus Patronatus naturam mutabit, & ex Laïco fiet Ecclesiasticum ex speciali constitutione Bonifacii VIII. in *cap. unico de jure Patron.*

Patronus Ecclesiasticus intra tempus concessum non potest variare: Patronus verò Laïcus variare potest, & bis aut ter præsentare diversas personas: & ille potior erit, quem Episcopus elegerit, vel instituerit, licet posteriori loco fuerit præsentatus. Quæ regula confirmatur *cap. 24. & 29. hoc tit.* & explicavimus pluribus in *parte 1. cap. 5.* Si tamen Ordinarius malitiosè primum præsentatum & sine causa repulerit, tenebitur ei competens Beneficium assignare *cap. 29.*


Præterea notandum, quia fit mentio reservationum, quas vocant Mandata de providendo, & litteras expectativas ad vacatura Beneficia, eas frequentatas fuisse non tantum à S. Pontifice, sed etiam ab ejus Legatis. Sed primum quidem Concilio Basileensi & Pragmatica nostra, deinde Concordatis ex parte; ac postremum generaliter Concilio Tridentino

ablata fuerunt sessione 24. de Reformatione cap. 18.

Quod si istes non majorem fuisse rationem derogandi juri Patronatus Ecclesiastico quàm Laïco, respondebimus utrumque esse æquissimum. Eaque de re acriter certatum, & diù adversus usurpationes & jura nova: & eam in rem notatu dignissima Pragmatica D. Ludovici anno 1268. art. 1. Ut Ecclesiarum regni nostri Prælati & Beneficiorum Collatores Ordinarii jus suum plenariè habeant, & unicuique sua jurisdictione servetur. Super ea re graves & sæpiùs repetitas circa eadem tempora Cleri & Magnatum Angliæ querelas Matthæus Paris exponit, & ejus Continuator, cujus locus insignis in Henrico III. sub Gregorio IX. Pontifice. *Ipsis quoque temporibus Comites & Barones & alii Magnates Angliæ, ad quos ab antiquo jus Patronatus Ecclesiarum spectare dignoscitur, dolentes privari se sua libertate, & per cupiditatem Romana Ecclesiæ, jure conferendi Ecclesias enormiter privari, & alienigenas præcepto Papali illis ditari: quorum personas & conditiones penitus ignorabant; licet serò, Domino Papæ scripserunt.* Insuper deinde literas Magnatum Angliæ ad Gregorium IX. & ipsius Gregorii IX. Rescripta, quibus dictus Pontifex revocat Collationem cujusdam Ecclesiæ à se factam, inconsulto Patrono Laïco, qui ob eam rem Romam profectus fuerat: & in posterum præcipit Pontifex, ne alicui de cætero liceat prædicti Regni Ecclesias, in quibus Laïci sunt Patroni, præter eorum assensum, Apostolicæ Sedis autoritate obtinere. Ademptum verò paulatim idem jus Ecclesiasticis Patronis, sicut idem Matthæus Paris conqueritur. Eiusdem Gregorii IX. Cardinalis Ostiensis similia quædam Rescripta se legisse ad hoc capit. annotat. Post Gregorium tamen IX. iterum derogatum fuit à Pontificibus eorumque Legatis juri Patronatus Ecclesiastico & Laïco, sub eodem Henrico III. Rege & Pontifice Alexandro IV. Continuator Matthæi ad annum 1259. *Dominabantur etiam his diebus Romani & eorum Legati in Angliâ tam Laïcis quàm Ecclesiasticis super Advocationibus Ecclesiarum.* Unde postea gravissimæ seditiones & bella exorta annis sequentibus, de quibus idem Continuator, maximè ad annum Domini 1267. In Gallia verò jus Patronatus Laïcum semper integrum & illibatum mansit adversus Pontificum & Legatorum Collationes inconsulto patrono factas. Ecclesiastici verò Patroni post tempora D. Ludovici & dictam Constitutionem, licet serò, paulatim tamen plenitudini potestatis Pontificiæ cedere coacti fuerunt.

Caput 29. explicavimus ad cap. 5. partem 1. Caput verò 30. in cap. 25. Caput ultimum in Capituli 5. parte 1. & in Capitulo 18.





# NOTÆ

AD

ALEXANDRI CHASSANÆI

PARISINI,

IN GREGORII IX.

DECRETALIVM V. LIBROS

PARATITLA.

LIB. I.

Ad Tit. II. *De Constitutionibus.*



*Constitutionis autem nomine, &c. Quod quidem peculiare est Juri Canonico: aliter enim obtinet in Jure Civili, in quo ejusmodi statuta, Decreta appellantur; interdum etiam Leges Municipales.*

Ad Tit. III. *de Rescriptis.*

*Hoc quoque jure in Beneficiis à Papa conferendis, &c. Triplices illæ literæ locum habebant, cum Gratiis expectativis locus erat, & ad Episcopos conferendis Beneficiis gravatos dirigebantur. Sed ipsis per Concilium Basileense, & in Gallia per Pragmaticam Sanctionem primùm, deinde etiam per Concordata sublatis, ejusmodi etiam literarum usus exolevit.*

Ad Tit. IV. *de Consuetudine.*

*Post locum Demosthenis, adde Joannem Chrysof. in Homil. 56. in Genesim Tom. 2. edit. Paris. ubi videas, quæ Consuetudines, etsi veteres, abjiciendæ, quæ retinendæ.*

## Ad Tit VI. de Electione.

Καλλιόρος ἐπιδήϊως, *eximia fama*. Et cùm ad superiorem, saepe etiam per appellationem ad Summum Pontificem cognitio spectet de saniori parte Capituli, aut de irritanda electione; tacitè etiam ad eum his casibus spectat electio.

*Illud tamen prohibitum fuit Conc. Sardicensi, &c.* Imò nec Sardicensi, nec ullo alio Concilio consensus populi est prohibitus. Sed Sardicense vetat tantùm fraudes fieri, & turbam τὸ πῦδος concitari, ut *Seditionem concitent in Ecclesia, & Episcopum postulent*. Imò ille Canon, qui est secundus Sardic. Synodi, loquitur tantùm de translatione Episcopi de minori ad majorem Ecclesiam, quæ primo Canone vetita est, & secundo bocce (anone) prohibitum est, populum alterius Ecclesiæ, ad quam scilicet transire velit Episcopus, seditionem concitare, ut ipsum postulent Episcopum: nempe ejusmodi postulatione, quæ totius plebis videbatur, hæc translationes Episcopi priores Ecclesias deserentes excusabant.

*Et Martinus Papa Can. non licet, &c.* Imò Braecarensis Canonum Collector.

## Ad Tit. VIII. de Autoritate &amp; usu Pallii.

*Pallio utuntur Metropolitanis, &c.* Solos Archiepiscopos pallio uti falsum, nisi de Lege ordinaria.

*Barbara verò nationes, &c.* Falsum.

*Conceditur autem à Sum. Pontifice, vel etiam à Primatibus, sive, &c.* Falsum. Verum de Patriarchis majoribus.

## Ad Tit. IX. De Renunciatione.

*Non potest idem Beneficium resignari, &c.* Contrarium verius est. Vide supra tractatum ad eundem tit. parte 1. pag. 252.

## Ad Tit. X. De Suppl. neglig. Prelatorum.

*Idem obtinet in Patronis Ecclesiasticis, &c.* His ex locis videas jure Decretalium Judices Ecclesiasticos posse supplere negligentiam Laicorum, & jus quod Laici à suis Judicibus non obtinent, reddere: non verò à contrario Laicos posse ad seculare tribunal confugere, si ab Ecclesiasticis Judicibus justitia eis denegetur. Sed hoc jus novum est, & veteribus Canonibus repugnans, ut patet ex Gratiano; & locis hîc citatis, ex quibus videas reciprocum esse debere his in casibus ad utrumque tribunal per fugium. Vide etiam cap. 12. de Foro compet.

*Quamvis titulus hic inscriptus sit, &c.* Adde cap. 17. de judic. & Nov. Justin. 83. & Can. si quis cum Clerico xi. q. 1. Glossam in Can. filiis xvi. q. 7.

**Ad Tit. XI. De temporibus Ordinationum & qualitate  
Ordinandorum.**

Micrologus cap. 24. & 29. inter autores *De divinis Officiis.*  
*Non licet etiam Episcopis duos è majoribus.* Ita legendum; non, ex  
minoribus.

*Apostolorum Can. 35. & Can. I. LXXI. Dist. non XVII.*  
*Non potest etiam Monachus, &c.* Nempe Monachi quasi servi ad-  
dicti sunt Monasterio; ideòque non possunt ordinari sine consensu Ab-  
batis, quemadmodum nec servi sine consensu dominorum, *tota Dist. LIV.*  
& ideo Monachi, quasi servi & servitutem professi, excluduntur à suc-  
cessionibus aliisque juribus civilibus. Hùc referri possent de servitutibus  
voluntariis plura exempla, quæ apud Gregorium Turonensem leguntur,  
de iis, qui grassante fame se in divitum servitutem dabant, ea tantùm  
conditione ut alerentur.

**Ad Tit. XIII. De Ordinatis ab eo qui renunciavit Episcopatu:**

*Potest quis oneri Pontificali, &c.* Illud autem ab initio non ita se ha-  
bebat: nec poterat onus Episcopale ab honore sejungi; quominus qui  
Ecclesiæ suæ administrationem relinqueret, etiam & dignitatem depo-  
neret.

**Ad Tit. XIV. De ætate & qualitate & Ord. Præficiendorum.**

De ætate Episcoporum. Vide *L. 47. Cod. de Episc. & Cler. &*  
*Joan. Chrysostom. lib. 3. & 4. de Sacerd. c. 2.* De ætate Abbatum ibidem.

**Ad Tit. XV. De sacra Vnctione.**

Petrus Aurelius in *Orthodoxo cap. 7.* & Arcudius Coreyrensis *lib. 2.*  
*p. 66. lit. D.* Item *Ἀρχιερατικόν*, sive *liber Pontificalis Ecclesiæ Græcæ*  
Autore Haberto *p. 682. & 683.* maximè *p. 701. & 702.*

**Ad Tit. XVIII. De Servis non ordin.**

An servus Presbyter ordinatus invito aut ignorante domino, deponi  
& domino reddi debeat, vide *cap. 2. hujusce tituli*; quod hoc statuit,  
si calliditate & fraude ad gradus Ecclesiasticos perveniat. Sed Glossæ  
ibidem plurimas adfert distinctiones.

**Ad Tit. XXII. De Clericis peregrinis.**

De variis Literarum Ecclesiasticarum speciebus, vide Gratianum *ix.*  
*q. 2.* & Octavianum Ferrarium *de Literis Ecclesiasticis.* De Ordinatis  
autem ab Episcopo non suo vide *epist. Hieronym. 10. & 12.* ubi de Pau-  
linianâ & ipsius Hieronymi Ordinatione.

## Ad Tit. XXIII. De Officio Archidiaconi.

Adverte illa Officia Archidiaconi, Archipresbyteri, & Chorepiscopi olim ætatis prærogativa delata fuisse, non verò gradu aliquo distincta ab aliis; ita ut qui grandior ætate inter Diaconos cæteris præesset, eorumque gereret curam: nec ulla alia nisi ætatis prærogativa inter ejusdem ordinis Clericos tunc vigeat. Distincti tantum erant Episcopi à Presbyteris, à Diaconis Presbyteri.

*Vices Episcoporum agebant (Chorepiscopi.* Nam ita legendum; cætera delenda. Chorepiscopis non successere Archidiaconi. Siquidem ut distincta eorum officia, ita & simul in Ecclesia diu viguere. Sed dicendum potius Chorepiscopis sublatis, in eorum vices successisse eos, quos vocamus Decanos rurales: similem nempe ac propè parem curam exercent.

Officium Archidiaconorum describit Isidorus Hispalensis in *elegantibus epist. ad Leodefredum Cordubensem*: Cum pridem insolescerent nimia potestate, ab Episcopis in ordinem redacti fuerunt, & maxima potestatis pars detracta fuit, institutis Officialibus & Vicariis, & modica tantum eis relicta parte. Postremò Archidiaconatus cœperunt esse tituli perpetui, non autem administrationes temporales sicut antea; & non tantum Diaconis, sed etiam Presbyteris collatæ illæ dignitates. Quòd si latè pateant Diœceses, plures in eodem Episcopatu certis regionibus distincti sunt Archidiaconatus. In iis verò singuli non plenam habent jurisdictionem, sed modicam tantum, & potius visitationem quàm jurisdictionem. De illis enim omnibus debent referre ad Episcopum, antequàm sententiam proferant.

Quod porrò attinet ad Officium Archidiaconi & Archipresbyteri, nota habendam esse rationem Consuetudinis regionum & Episcopatum, in quibus suo munere funguntur. Malè enim ex Decretalibus hisce ducemus argumenta ad omnes ubique Archidiaconos & Archipresbyteros. Pluribus enim in locis Personatum tantum gerunt, id est honorem sine administratione: & omnino variè se habet ejusmodi functio pro locorum varietate. Si originem spectes & nominis Officium, Archidiaconus, cujus dignitas Sacerdotalem non desiderat characterem, supra Diaconos tantum ut eorum primus, jurisdictionem exercebat. Exercet tamen erga Presbyteros & Parochos Ecclesiarum, sed quatenus Episcopi in hac parte vices gerit, aut potius jurisdictionem habet sibi demandatam: & est quasi pars corporis ipsius Episcopi, veluti Officialis qui judiciis præest. Invaluit tamen pluribus in locis, v. g. in Carnotensi Diœcesi, ut separatam ab Episcopali jurisdictionem Archidiaconus habeat, suumque peculiarem Officium & Promotorem, à quo ad Episcopum appellatur.

## Ad Tit. XXIV. De Officio Archipresbyteri.

Hic jus antiquum malè confunditur cum recenti.

## Ad Tit. XXV. De Officio Primicerii.

*Primiceriatus personatus est, &c.* Dignitas est honor, cum administratione, siue jurisdictione aliqua: Personatus est honor sine administratione.

## Ad Tit. XXVIII. De Offic. Vicarii.

In hoc tit. non agitur de Vicariis & Officialibus Episcoporum, sed potissimum de Vicariis perpetuis, qui constituuntur ut subeant vices Monachorum & Capitulorum, quibus Ecclesiæ parochiales concessæ fuerunt vel in eorum foundationibus, vel postea. Ex Conciliis enim Lateranensibus sub Alexandro III. & Innocentio imposita necessitas fuit iis, quibus Ecclesiæ parochiales concessæ fuerant vel ab Episcopis, vel à Laicis qui eas indebitè primùm occupaverant, præsentandi Clericos idoneos Episcopis, qui in Vicarios perpetuos instituerentur, assignata parte reddituum & proventuum arbitrio Episcopi. Isti autem Vicariatus perpetui sunt, & Sacerdotibus competunt, qui effectu ipso sunt Rectores & Plebani, quamvis vulgò qui eos præsentant, vocentur *Curez, primitifs*. Vide cap. 10. 12. 30. & 31. de *Præb. extra*. De Officialibus & Vicariis Episcoporum, vide Anastasium Germonium lib. 1. *Animadvers. c. 7.* & ad tit. de *Off. Vicar.* cum Glossa in vi. Petrum Blesensem ep. 25. ubi de Officialibus fusè.

De forma verò Vicariatus, & Vicarii Episcopalis Officio, Rebuffus in *Praxi*.

## Ad Tit. XXIX. de Officio &amp; Potest. Iudicis Delegati.

*Vel à Summo Pontifice datus est, totius, &c.* Id Juri Civili repugnat.

*Si nondum Delegatus jurisdictione uti cœperit.* Aliud in Legatis Apostolicis: neque enim morte expirat constituentis, cap. 2. de *Off. Leg.* in vi.

## Ad Tit. XXX. De Off. Legati.

*Ivoni epist. 109.* Adde *epist. 274.* & pag. 26. 104. 105. & 108. Epistolarum ejus editionis in 8. Vide Juretum in *Notis*, & tom. 1. Libertat. Eccles. Gall. p. 714. & seqq. ut & Sirmondum ad *Capitula Caroli Calvi p. 6. 27. & 28.* Legati Pontificis alii sunt ratione Sedis, qui & Legati Nati dicuntur, ratione nempe Ecclesiæ suæ, qualia jura sibi Remensis & Senonensis vindicant, & in Anglia Cantuariensis: alii qui ad certum genus negotiorum, vel Nuntiorum ut dicimus, vel Oratorum nomine mittuntur ex ordine Episcoporum, qui Apocrisarii siue Responsales vocari solent: tertii qui vulgò à latere Legati appellantur.



## Ad Tit. XXXI. De Off. Iudicis Ordin.

Vide Filescum de Sacra Episcop. autoritate. Quinam in Jure Civili Ordinarii Iudices appellantur, explicat Cujacius ad tit. de Iudiciis.

En ἰσαπυτῆς, ex Delegatione.

Ex τῆς δικαστικῆς, &c. ex Jure Magistratus, sive proprio.

L. un. C. ne liceat in una eademque causa, &c. Contra Cujacius Paratit. Cod. de Episc. audientia.

## Ad Tit. XXXIII. De Majoritate &amp; Obedientia.

In hoc tit. agitur de ordine in Ecclesia inter Dignitates varias constituto, & quomodo Dignitates inferiores superioribus debeant obtemperare. Nomine majoritatis superiorum significatur autoritas & potestas; obedientiæ verò inferiorum subjectio & obsequium: quæ obedientia aliquando per professionem scriptam, aliquando verò per manus & sacramentum exhibetur; de qua forma graves contentiones inter Abbates & Episcopos: de quibus Sirmundus ad Gofridum Vindocinens. pag. 26. & 40. Obedientiæ verò manualis fit mentio in cap. 12. Extravag. de restit. spoliat. & apud Ivonem Carnot. in epistolis. De ordine sedendi inter provinciales Episcopos, vide Sirmundum p. 50. in Notis ad Gofridum Vindocinensem.

## Ad Tit. XXXIV. De Treuga &amp; pace.

In hoc tit. agitur non de treuga & pace inter summos Principes, sed de bellis privatis, quæ inter privatos ad res repetendas, vel injurias propulsandas oriebantur; quæ Reges & Principes cum omnino repellere non possent, saltem publicas treugas sanciverunt, quibus cessaretur, & certas personas exemerunt ab hujusmodi bellis. De treuga & pace, vide Ivonem epist. 90. & ibi Juretum; & de Marca in Historia Bearnensi, & eundem de Concordia Regni & Sacerd. itemque lib. de Primatu Lugdunensi, & Epistolas Innocentii III. à Bosqueto editas, ut & Can. 25. XIV. Quæst. 3.

Constitutum autem est, &c. Haftenus vix quidquam ad rem in hoc tit.

## Ad Tit. XLIII. De Arbitris.

Extremum illud notandum est, &c. Ratio hæc est, quod origo omnis jurisdictionis Ecclesiasticæ ab arbitrio cœperit. Unde in Rescriptis, quando dantur Iudices, additur, ut vel iudicio vel arbitrio litem terminent.

## LIB. II.

## Ad Tit. De Judiciis.

**A**gitur hoc tit. de causis sive negociis tam civilibus quàm criminalibus, quæ pertinent ad cognitionem Judicum Ecclesiasticorum, vel publicorum, id est Laïcorum, de quibus gravissimæ controversiæ sæpe intercesserunt: ita tamen ut in *Decretalibus* omnia tribuantur Judicibus Ecclesiasticis; adimantur Laïcis. Gratianus quoque in eadem est sententia: Canones tamen quos refert, si rectè intelligantur, & ad suas origines revocentur, aliud innunt. Vide Gratianum *Causa* II. Q. 6. & 8. & *Causa* III. Qu. 6. & 9. & *Causa* xv. Qu. 7.

In hoc verò tit. de *Judiciis* agitur de criminibus Clericorum *cap.* 4. 8. & 10. Ad quæ capita vide Interpretes, maximè Cujacium & Molinæum in *Notis Juris Canonici*.

Adde Photium *tit.* 9. *Nomocan.* & *Can.* 5. Concilii Antiocheni, & ad eum Balsamonem, & *Nov.* Valentin. de *Episcop. judicio* in *Cod. Theod.* & Cujacium *Parat. Cod. de Episc. audientia*.

## Ad Tit. III. De Libelli oblatione.

Ante Justinianum in Jus vocatio fiebat privata autoritate: sub Justiniano (ex *Novellis* ejusdem & *recentioribus* *Constitutionibus*) adnotatio Judicis ad libellum requirebatur, quam hic vocat Libelli oblationem: atque hæc continebat & petitionem Actoris, & jussum Judicis respondentis ad libellum; quam & vocant sæpe Commonitoriam sententiam, & commonitionem Judicis, *ὑπόμνησις*.

## Ad Tit. IV. De Mutuis petitionibus.

Vide omnino Cujacium ad *Responsa* Marcelli in *L.* 38. ff. *Mandati*.

## Ad Tit. V. De Litis contestatione.

Vide Cujac. ad *L.* 1. 2. & 4. *Cod. de Judiciis*.

## Ad Tit. VI. Vt lite non contestata, &amp;c.

Cujacius omnino ad *cap.* 61. *infra de appellat.* & ad *cap. causam infra de dolo & contum.* & ad *L. pen. Cod. de Testam.*

## Ad Tit. VII. De Iuram. calumnie.

*Quibus omnino jurare non permittitur.* Non est indistinctè verum.

Ad Tit. IX. De Feriis.

Augustinus *Lib. 6. de Civ. Dei. cap. 1.* & Chrysoft. in *1. ad Corinth.*  
*Homil. 28. initio p. 31. tom. 5. edit. Paris.*

Ad Tit. XIII. De Restitutione Spoliatorum.

Adde *cap. 2. 7. & ult. supra de Ordine cognitionum*, & omnino Cujacium ad *tit. 4. lib. 8. Cod.* ubi explicat differentiam inter interdictum unde vi, & possessionis redintegrandæ. Item & adde Juretum ad *Epist. Ivonis 172.*

Sirmundus ad *Epist. Gofridi p. 44. 45. & 59.*

*Sic in L. 22. Cod. Theodos. &c.* Hoc generale est in omnibus interditiis.

*Nulla spontanea renunciationis, si de &c.* Imò juvat & prodest, si ante spoliationem ejuraverit Beneficium, *cap. 12. hoc tit.*

Ad Tit. XIV. De Dolo & contumacia.

Contumax propriè in Jure dicitur, qui postquam apud Magistratum litem contestatus est, litem deserit, nec coram Judice dato litigat: quo casu ad Prætorem vel Magistratum qui dederat Judicem, recurrentum erat, à quo tria edicta vel denuntiationes impetrabantur, intervallo inter singulas denuntiationes novem dierum intermisso, quod trinundinum vocabatur. Atque his publicatis Prætor ad eundem Judicem quem dederat remittebat, ut secundum præsentis allegationes & probationes sententiam pronunciaret: nam & absens aliquando vincebat. Jure vero Canonico, sive ante sive post litem contestatam, missio fiebat in possessionem ut plurimum. Nam Jure Civili missio tantum procedebat ante litem contestatam, quoties reus secum litem contestari non patiebatur.

Ad Tit. XVI. Ut lite pendente, &c.

*Utat è μέω &c. In medium proferri divina judicia, rescripta Principum, sacros affatus.*

Ad Tit. XXIV. De Iurejurando.

An jurare liceat, vel non: vide Voss. *Histor. Pelag. Lib. 5. Thesi 1. p. 500. 501. & 503.* Chrysoft. *Homil. 17. in Matth. & in Psalm. 109.* August. *Homil. 28. to. 1. p. 146. & 147. edit. Paris.*

Ad Tit. XXVIII. De Appellationibus, &c.

Vide Cujacium *Parat. Cod. si ex falsis instrum. en cas de revision*: quo casu non est opus appellatione, sed restituitur Judicium, restitutio causæ & litis sive Judicii, redintegratio causæ, instauratio Judicii,

*καλινδία*, *revisio*, conceditur, & retractatio Judicii; ad differentiam restitutionis rei, quæ ex beneficio edicti Prætoris conceditur in superiori casu ipso jure.

*Ita illud in Gallia semper*, &c. nempe in levioribus causis.

De appellationibus ad Summum Pontificem vide *Can. 3. 4. & 7. Concilii Sardic. & Baronium*, & S. Athanasium passim, & Concilium Carthaginense in *Collectione Dionysii Exigui Can. 138. Capellam de appellat. & le Cardin. du Perron en sa Republique au Roy de la Grand-Bretagne*, & supra *dissert. de Orig. & autor. Juris Can. pag. 19. in prima parte.*

### Ad Tit. XXX. De Confirmatione utili vel inutili.

Duæ sunt species confirmationum: altera generalis, altera specialis. Generalis nihil addit juris, sed confirmat, prout res se habet in veritate, quæ confirmatur.

Quæ verò specialis est, fit causa cognita, & ex certa scientia: quod in hoc titulo præcipuè notandum, eaque actui inutili per se vires suppetat. Vide Cujacium in *Postumis ad hunc tit.*

## LIB. III.

### Ad Tit. II. De Cohabitatione Clericorum.

**C**hrysostronus *Tom. 3. Edit. Paris. p. 913. de verbis Hieremiæ: Domine non est in homine via ejus. Discours des Theologiens de Bordeaux contre du Plessis*, dont Fronton le Duc est auteur. *Conc. Turonense Can. 10. & 11. & Cujacius ad Nov. 6.*

### Ad Tit. IV. De Clericis non residentibus.

Vide Bartholomæum *Caranza de Residentia. Adde Tom. 3. Concil. Gall. pag. 671. & cap. 28. extra de Appellat. Anton. Augustinum 2. partis de Reb. lib. 15. tit. 5. Concil. Chalced. Can. 6.*

### Ad Tit. V. De Præbendis & Dignitatibus.

Quid sit Dignitas, quid Personatus, Cujacius ad *cap. ult. extra ut lite pend. nihil innov. & ad cap. 4. & 23. de Restit. spol. & in hoc Paratit. Præbenda vocabulum*, &c. falsum.

### Ad Tit. VI. De Clerico ægrotante vel debilitato.

De Coadjutoribus agitur hoc tit. Gratianus *Causa VII. Q. 1.*

### Ad Tit. VII. De Institutionibus.

*Nève in Beneficiis Ecclesiasticis Laici jus &c. De Oblatis & Laicis,*

AD ALEX. CHASSAN. DECRETAL. PARATITLA. 317  
quibus adsignatur aliquid ex bonis alicujus Ecclesiæ, vide *cap. 2. hoc tit. Jure Civili constitutum est. V. Bosquetum in Epist. Innocentii III.*

Ad Tit. IX. *Ne Sede vacante aliquid innovetur.*

Adde quæ notat Glossa *ad cap. 1. de Schismat. in vi. in verbo Sede vacante*; & Anton. Augustinus *Lib. 6. tit. 63 de Capitulis & Collegiis.*

Ad Tit. X. *De his quæ fiunt à Pralatis sine consensu Capituli.*

Vide Tractatum Leschasserii adversus Episcopum Sylvanectensem, qui habetur in Appendice Constitutionum Fontanonis *de Exemptione Capitulorum*, & Tom. 2. Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ pag. 1046. & 1047. Vide *cap. ult. de supplenda neglig. Pral. in vi. & cap. un. ne Sede vacante*, & ibi Gloss. Ant. August. *Epit. lib. 6. cap. 63. & lib. 15. cap. 26.* & Cujac. *ad cap. 13. de Foro compet.* Huc pertinent quæ vulgò de Presbyterio legimus in antiquis Canonibus.

Ad Tit. XIII. *De Rebus Ecclesiæ alien. vel non.*

Vide Duarenum *de Sacrosanctis Ecclesiæ ministeriis*, Anton. Augustinum *lib. 15. p. 65. & lib. 10. tit. 10. & 11.*

Ad Tit. XVIII. *De Locato & conducto.*

*In magna fisci penuria. Inde feudorum origo.*

Ad Tit. XXVI. *De Testamentis.*

*Quemadmodum verò olim. L. 34. Cod. de Episc. & Cler.*

Ad Tit. XXVIII. *De Sepulturis.*

Augustinus *lib. de Cura pro mortuis gerenda cap. 1. 2. & seq. Chrysoft. contra sumptus inanes funerum Homil. 85. in Joannem.*

Ad Tit. XXIX. *De Parochiis & alienis Parochianis.*

Filescus *de Origine Paroeciarum.* Epiphanius *Tom. 1. p. 719. & Tom. 2. p. 276.* Hincmarus *Rem. Tom. 1. p. 592.* Joan. Gerson *Tom. 1. passim.*

Ad Tit. XXX. *De Decimis, primitiis, oblationibus.*

Vide Concil. Trosleianum *cap. 6. Tom. 3. Concil. Gallia pag. 548.* Scaligerum *de Decimis*, Cironium in *Parat. Decretal. Marcam de Concord. Regni & Sacerd.*

## Ad Tit. XXXI. De Regularibus &amp; transeuntibus ad Religionem.

*Annorum octodecim etas. Vide Menardum Monachum in Concordia Regularum.*

## Ad Tit. XXXII. De Conversione conjugatorum.

Converti & conversari idem significat ac Monachum fieri, Augustinus epist. 70 ad Bonifacium Comitem.

## Ad Tit. XXXV. De Statu Monachorum &amp; Canonico-regularium.

*Horum Præpositi, &c. ἡγούμενοι* separantur ab Abbatibus: ἡγούμενοι sunt quos Latini in Monasteriis Præpositos vocant, & hodie Priores claustrales, qui disciplinæ tantum præfunt. Abbates verò universo Monasterio imperant. Monachorum autem veterum vitam eleganter describit Chrysost. Homil. 8. in Mattheum.

*Alii seorsum agunt & soli sunt, &c.* Olim vocati fuere Inclusi sive Reclusi & Anachoretæ, de quibus sæpe Gregor. Turonensis, & Sirmundus ad Epistolas Petri Cellensis: non autem aliter eis permittebatur ut se includerent, nisi ab Episcopo nominatim impetrassent, nec aliter indulgebatur, nisi vitæ eorum probitas per plures annos perspecta fuisset.

Canonici Regulares differunt à Monachis, quia regulæ inserviunt laxiori: præterea non renuntiaverunt omni administrationi Ecclesiasticæ, imò ad perfectiùs eam procurandam sese addixerunt regulæ, & ad eos propriè pertinent quæ D. Augustinus scribit de Vita communi Clericorum. Unde dicit Possidonius in ejus vita, Augustinum induxisse Monasterium in Ecclesiam, quod ante Augustinum Ambrosius & Eusebius Versellensis fecerant; postea diversis temporibus revocare Episcopi sanctiores conati sunt: unde in Conciliis Galliæ sub Carolo Magno præscripta regula vivendi Canonico-regularium distinctim & separatim à Regula Monachorum tom. 2. Conciliorum Galliæ in Concilio Aquisgranensi: posterioribus verò temporibus Norbertus, Ivo Carnotensis reducere conati sunt.

## Ad Tit. XXXVIII. De Jure patronatus.

*Temporibus Justiniani, falsum.*

*Agonotheta: cujus rei vestigium est. Cujacius Observ. 23. 7. De Jure Processionis vide Florentem Dissert. in cap. Auditis de præscriptionib. c. 4. In dedicatione ipsius Ecclesiæ, falsum. Imò sive ante, sive post dedicationem.*

## Ad Tit. XXXIX. De Censib. exactionibus, &amp; procurationibus.

*Qui nova vectigalia instituere prohibentur, &c. Vide omnino Can. Quæsitum 1. q. 3. Hincmar. Rem. p. 92. edit. Par. & p. 12. Goffridi Vind. lib. 3. Cathedraliticum, sive Synodaticum, droit qui se paye au Synode.*

*Procuraciones: droit de visite.*

*Pulveratica; vide Sidonium Apollin. in epist. & Cassiodorum, d. cap. 16. sup. de Off. Jud. Ordin. Can. 6. 7. & 8. usque ad finem Caus. x. Q. 3. Erectiones. De quibus vide Savaronem ad epist. 20. Sidonii lib. 5.*

**Ad Tit. XL. De Consecratione Ecclesie, vel altaris.**

Adde quæ de *σπογγία* Balsamo ad *Can. 31. Apostolorum*, & ad *Can. 8. Chalced.* Habertus in *Ἀρχιερατικῶ* p. 642. 643. & seqq. Paulinus Nolanus ep. 12. Leo Allatius de *Narthece & de Templis.*

**Ad Tit. XLI. De Celebrat. Missarum & Sacram. Euchar. &c.**

Chrysostomus *Homil. 10. in Matth.* & *Nota Frontonis Ducæi in Tom. 1. Chrysost.* p. 20. & 54. ubi de Synaxi.

**Ad Tit. XLII. De Baptismo & ejus effectu.**

Vide Josephum Vicecomitem, Augustinum *lib. de Fide & operibus & adversus Julian. opus imperf.* Vide *Notas Menardi pag. 90. in fine,* & *Briffonium ad L. Dominico de spectaculis Cod. Theodos.*

**Ad Tit. XLIV. De Custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum.**

De custodia Eucharistiæ vide *Notas ad Paulinum p. 783. 789. Ἀρχιερατικῶν Haberti pag. 266. & seqq. & Aurelium in Orthodoxo p. 562. & 563.*

**Ad Tit. XLV. De Reliquiis & venerat. Sanctorum.**

Vide *Les Theologiens de Bordeaux, Theodoret. 4. pag. 593. & 505. & 606. Serm. 8. de Martyrib.* Hieronym. *adversus Vigilant.* Frontonis Ducæi *Notas in Chrysost.* p. 83. & omnino ejusdem *Notas in epist. Paulini 12. & Archieraticon Haberti p. 76.* Adde *Chrysost. Orat. in Laudem Juvertini & Maximi,* ubi de Reliquiarum translatione.

Primus impugnavit reliquias Eunomius apud Græcos, qui error pululavit ex hæresi Arii.

**Ad Tit XLVI. De Observatione jeuniorum.**

De diversitate jejunii Quatuor temporum vide *Sirmundum ad Goffridum Vindocin. p. 56.*

**Ad Tit. XLVII. De Purificatione post partum.**

Leo Allatius de *Narthece veteris Ecclesie*, referens locum *Balsamoni.*

## Ad Tit XLVIII. De Ecclesiis edificandis, vel reparandis.

Ad hunc Tit. adde Pontificale Haberti pag. 642. 643. & seqq. & p. 670. & Meursium in *Lexico Mixobarbaro* in dictione *συνεπισημον*, & Balsamonem ad *Can. 7. Syn. VII.* vide omnino Euseb. *lib. 10. Hist. Eccles. cap. 2. 3. & 4.* & *lib. 2. de vita Constantini cap. 4. & 45. & lib. 3. cap. 29. 30. & 31. lib. 4. cap. 58. 59. & 60.* & Joannem de Launoy *Dissertat. de duobus Dionysiis. De Ecclesiarum Encaniis & de dicatione* vide Athanasium *Tom. 1. Apolog. 1. de fuga sua.*

Ecclesiæ majores dictæ Basilicæ à similitudine Basilicarum seu locorum, in quibus jus reddi solitum. Hinc πῆμα tribunal, locus sub abside, in quo altare. atque ibidem Antistes concionem habebat ad populum, Prudentius *Hymno XI. in B. Hippolytum Martyrem.*

*Stat sed juxta aliud, quod tanta frequentia templum.*

*Tunc adeat cultu nobile regifico,*

*Parietibus celsum sublimibus, atque superba*

*Majestate potens muneribusque opulens:*

*Ordo columnarum geminus, laquearia tecti.*

*Sustinet, auratis suppositus trabibus:*

*Adduntur graciles tecto brevior recessus,*

*Qui laterum seriem jugiter exsinuent.*

*At medios aperit tractus via latior alti*

*Culminis; exurgens editiore apice,*

*Fronte sub adversa gradibus sublime tribunal.*

*Tollitur, Antistes predicat unde Deum.*

*Plena laborantes agrè domus accipit undas,*

*Arctaque confectis astuat in foribus,*

*Maternum pandens gremium, quo condat alumnos:*

*Ac foveat foetus accumulata suos.*

Gregorius Nazianz. *Orat. 32. in præsentia 150. Episcoporum habita,* testatur auditores ad se concionantem accessisse tanta frequentia, ut ipsi quoque cancelli præ hominum multitudine violarentur. *Χαίρετε τῶν ἐμῶν λόγων ἑταῖροι, καὶ δρόπτοι, καὶ σιδερωμοί, καὶ γραφίδες φαίεσσι, καὶ λανθάνουσι, καὶ ἡ βιαζομένη κίβητις ἀπὸ τῆς ἀεὶ ἡδὺ λόγων ὠδιζομένης.* p. 528.

## Ad Tit. XLIX. De Immunitate Ecclesiarum, cæmeterii, &amp; rerum ad eas pertinentium.

Vide Augustinum *lib. 1. de Civit. Dei cap. 4. 7. 12. & 13.* Pontificale Ecclesiæ Græcæ p. 673. Ambros. *lib. 1. de Abrahamo cap. 9.*

## Ad Tit L. Ne Clerici vel Monachi negotiis secularibus se immisceant.

Bernard. *epist. 67.*

*Qui rationes suas &c.* Ne hujusmodi Clericis Ecclesia subveniat. Vide *Epist. Monasterii Westmonasteriensis.*

*Utrique verò & Clerici.* Adde omnino simile *Rescriptum Innocentii IV* in *Addit. ad Matth. Paris.* p. 690. & seq.



## LIB. IV.

## Ad Tit. I. De Sponsalib. &amp; Matrimoniis.

**I**Ta Harmenopulus rectissime. Tempore Leonis Philosophi & Caroli Calvi.

Qua à principio contrahentes fugerit, cogi possunt. Falsum.

## Ad Tit. II. De Desponsatione impuberum.

Sponsalia tamen fieri possunt inter eos qui non sunt minores. Observandum ex Leg. 2. Cod. de Sponsalib. consuevisse à die sponsaliorum intra biennium nuptias perfici: unde sponsalia contrahi non possunt à minore decem annis, aliàs non quidem injustæ, sed præmaturæ dicuntur.

## Ad Tit. III. De clandestina desponsatione.

Adde Causam xxx. Quæst. 5. per totum.

Ut bona, id est edicta: banna.

## Ad Tit. VIII. de eo qui duxit in matrim. quam polluit per adult.

Vide Responsa Hincmari in Tractatu de divortio Lotarii & Thetbergæ p. 160. 669. 672. 674. & 675. & Nicol. 1. ep. 52. Tom. 3. Concil. Gall. p. 328. in iio.

Non probavere etiam &c. ut constat ex Can. 1. &c. Basilius Can. 39. & ibi Balsamo.

Eos verò qui secus &c. V. Lechassèrium in Tractatu Gallico de Digamia.

## Ad Tit. IX. De conjugio servorum.

Sidonius lib. 5. epist. 19.

## Ad Tit. XIV. De consanguinitate &amp; affinitate.

Augustinus de Civitate Dei lib. 15. cap. 16. & Gregorius epist. ad Consulta Augustini, de Gradibus.

Denique jure isto, &c. Aliud antiquo Jure Canonico, quod planè Jus Civile sequebatur in numeratione graduum tam apud Græcos quàm apud Latinos.

## Ad Tit. XV. De frigidis &amp; maleficiatis, &amp; impotentia coeundi.

Lechassèrius de Dissolutione matrimonii, & Hotmannus in suis Opusculis. Adde Nov. Leonis 98. Gratianum Can. xxxiii. Q. 1. per totum. August. lib. 2. de Adulterinis conjugis ad Pollentium cap. 19. Chrysof. To. 6. p. 273. Hincmarum Tom. 1. in Opusc. de Divortio Lotarii p. 595. ad interrogationem 5.

Ad Tit. XVI. *De Matrimonio contracto contra interd. Ecclesie.*

Ivo Carnot. ep. 155.

Ad Tit. XIX. *de Divortiis.*

Leunclavius in *Jure Orientali* pag. 414. & 419. Cujacius ad *Papinianæ Quæstiones* p. 266. & 267. Chrysoſt. *Hom.* 17. & 62. in *Matth.* Asterius in *Homiliis de Repudio*, Chrysoſt. *lib. de Virginit.* c. 40. & 41. p. 354. 355. *Tom.* 4. Beza *de Repudiis*, Arcudius *de Sacramento Matrim.* lib. 7. cap. 8. & seqq.

Ad Tit. XXI. *De secundis nuptiis.*

Vide Chrysoſt. *de Virginit.* cap. 36. pag. 348. 350. & seqq. *Tom.* 4. Theodoretum in *Paulum* p. 156. & 482.

## LIB. V.

Ad Tit. I. *De accusationib. inquisitionibus, & denuntiationibus.*

1. **I**NScribebat accusator, id est libello profitebatur se deferre *Mævium* reum talis criminis &c. designatis loco & personis, & se periculo pœnæ similis obligabat.

2. Post inscriptionem requirebatur qui delatus fuerat, & sub custodia fiebat, quæ pro qualitate & conditione personarum erat multiplex.

3. Quod si fugeret qui delatus erat, fiebat requirendus, & bona ejus adnotabantur.

4. Si verò reperiretur, coram Magistratu vel Judice qui quæstioni præerat sistebatur, & accusator præsens pro tribunali reum præsentem accusabat: contra reo liberum erat seipsum defendere.

5. Quo peracto reus fieri dicebatur, in reatu esse, & receptus inter reos.

*Is est inquisitionis.* Vide *Directorium Inquisitorum Francisci Pegna.*

Ad Tit. III. *De Simonia, & ne quid pro spiritualibus exigatur vel promittatur.*

Simonia ars *Midæ* dicta *Proclo* *Cyziceno* *Orat.* 21. pag. 575. *Greg. Magn.* lib. 2. *Regist. ep.* 46. *ad Eulogium.* Vide *Notas ad ep.* 133. *Ivonis* p. 678. *(an. erga Simoniacos* 1. q. 1. & quæ contra *Simoniacos* sub *Gregorio VII.* habita fuerunt *Concilia*, & *Petrum Damiani* lib. 8. ep. 11. & quæ *Tom.* 3. *Concil. Binii* in *VII. Syn.* p. 716.

Ad Tit IV. *Ne Pralati vices suas vel Ecclesias sub annuo censu concedant.*

Galland en son *Traité du Franc-Allen*. Sirmundus ad Goffridum pag. 52.

Ad Tit. VII. *De Hæreticis.*

S. August. *de Civ. Dei* lib. 21. cap. 24. & 25. & *epist.* Theodori Studitæ in *Biblioth. Patr.* Tom. 2. p. 740.

Ad Tit. IX. *De Apostatis & reiterantib. Baptisma.*

Vide *Can.* 1. & 2. *Distinct.* LXVIII. *Tit.* 5. *lib.* 1. *Cod.* *Ne sanctum Baptisma iteretur.*

*Curia uniuscujusque.* Curia tradere, in veteribus Canonibus & Legibus est in ordinem Decurionum tradere, & Curia civitatum sive minoribus Senatibus, ut in suis usibus & ministeriis publicis præstandis adstringerentur, quandiu viverent.

Ad Tit. XI. *De Infantibus & languidis expositis.*

Vide Marculphi *Formulas & Notas.*

Ad Tit. XII. *De homicidio voluntario & casuali.*

Basilii *Can.* 43. *Epist.* ad *Amphilochium.*

Ad Tit. XVI. *De Sagittariis & Balistariis.*

Balistarum usus Christianis prohibitus.

Ad Tit XIX. *De usuris.*

Adde *Dist.* XLVII. *Can.* 2. & *Caus.* XIV. *Qu.* 1. 2. 3. & 4. Basilium in *Psal.* *Domine quis habitabit.* Greg. Nyssenum, Ambrosium de *Tobia*, Plutarch. *de δαριζότων.*

Ad Tit. XXIII. *De delictis puerorum.*

*L.* 14. *ff.* ad *Silanianum* §. *penult.* *Instit.* de *obligat. qua ex delicto nascuntur.* Tres sunt gradus usque ad pubertatem. Infans usque ad 7. annum completum. Infanti proximus qui implevit annum 10. Proximus pubertati masculus, qui 13. annum agit.

## Ad Tit. XXIV. De Clerico venatore.

Sirmundus ad *Ennodium* p. 33. in fine & seqq.

## Ad Tit. XXIX. De Clerico per saltum promot.

Saltibus superiorem locum captare L. 8. *Nemo* Cod. de *Advoc. di-*  
*vers. judic.*

## Ad Tit. XXXIII. De Privilegiis &amp; excessibus privilegiatorum.

Bernardus ep. 7. ad *Adam Monach.* Petrus Blesens. epist. 68. ad  
*Alexand. III.* idem Bern. ep. 42. ad *Archiepisc. Senon.* sub fin. & lib.  
3. de *Considerat.* ad *Eugen.* cap. 4. Fr. Florens *Dissert.* ad cap. *Auditis*  
cap. 2. De *exemptionibus.* Gratianus omnino xxv. *Quæst.* 2. per to-  
um, in fine maximè, & Cujacius in hæc verba Legis veteris, *Privi-*  
*legia ne cui irroganto*, lib. 15. *Observat.* c. 8.

Sed de his præcipuè quæ *Monachis*, &c. Vide Goffridum pag. 42. &  
43.

Regula verò hæc notanda in privilegiis, nunquam in alterius injuriam  
concedi. Cujacius ad *Responsa Papin.* p. 200. Quomodo autem sint in-  
terpretanda, adde L. 43. ff. de *vulg. & pup.* & ad eam Cujac. ad *Pauli*  
*Resp.* p. 1154.

## Ad Tit. XXXIV. De purgatione canonica.

Cujacius ad *Tit. de cohabit. Cleric. & mulierum* in fine omnino, &  
Sirmundus ad *Capit. Caroli Calvi* p. 74. Adde *Notas Jureti* ad *Ivonis*  
*epist.* p. 725.

Postea illud &c. Adde *Hincmarum* in *Capitulis* in fine *Tom. 3. Con-*  
*cil. cap. 23. 24. & seqq.* & *Concilium Trosleianum cap. 9.*

Et exceptiones ejus affirmarent: ita tamen ut de opinione & credulitate  
sua tantum interrogarentur, verum se credere quod reus asserit; non  
etiam de veritate, & certa quadam animi conscientia. Vide Cujacium  
ad *Tit. de Testib. cap. 29.*

## Ad Tit. XXXV. De purgatione vulgari.

Id etiam colligitur, &c. Cujacius ad cap. 33. *extra de Testib.* *Savaro*  
*Tractatu de Duellis.* Vide *epist. Savaronis ad Abbatem de Bosco* initio  
*Bibliotheca Floriacensis.*

*Ivonis Carnotens. epistolis.* Adde p. 205. & 247. & in *Notis* p. 635.  
657. 658. *Gratianum Caus. II. Q. 5. Can. 22.* Sirmundus ad *Goffridum*  
p. 61. 62. & seqq. & ad *Capit. Caroli Calvi* p. 73. & *Agobardi Tracta-*  
*tum* p. 287.

## Ad Tit. XXXVII. De pœnis.

Chrysoft. *lib. 2. de Sacerdotio cap. 2. 3. & 4.* de moderatione adhibenda circa pœnas canonicas, *Homil. 27. in 1. ad Corinb. cap. 11 p. 294. & seq. edit. Paris. & Prefationem Theodori sive Joannis Scholastici in Canones, Leonis Magni ep. 92.*

## Ad Tit. XXXVIII. De Pœnitentiis &amp; remissionis.

Vide Florentem *prima parte fol. 100. & 101. ad tit. de Consuetudine. Adde Libellum de anno jubileo Cyrilli Franchi editum sub Greg. XIII. cap. 11. 12. 13. 14.*

## Ad Tit. XXXIX. De Sententia excommunicationis, suspensionis &amp; interdicti.

Adde Chrysoft. *Tom. 3. edit. Paris. in Sermone de Oſia p. 873. 874. 890. & lib. 2. de Sacerdot. cap. 2. 3. 4. & seq. Idem Homilia 17. in Matth. p. 222. & omnino Orat. 2. in Babylam, ubi de excluso Imperatore quodam ab aditu templi p. 655. Tom. 1. & Fronto Ducæus in Notis p. 60. Nicephorus lib. 6. cap. 33. & lib. 10. cap. 28. ait hunc Imperatorem fuisse Numerianum; Chronicon verò Alexandri ait fuisse Philip-pum. Vide Fileſacum in *Notis ad Vincentium Lirinensem pag. 197. D. August. lib. de Fide & operibus, ubi de Disciplina Ecclesiæ circa excommunicationem, Habertus Tract. de Censuris p. 730. 731. 732. & seq. Philo de Excommunicatione. Vide August. Tom. 1. de vera religione c. 6.**

Vigor en son *Traité pour le Concile de Basle.*

De interdictis & eorum origine. Vide omnino Ivonis *epist. p. 596. 611. 737. & 819. & Notas Bosqueti ad Innocentii Registrum pag. 123. & 24.*

Minor excommunicatio recens est, nec locum habet in Gallia.

